Opuscula philologica

ad

Ioannem Nicolaum Madvigium

per quinquaginta annos

Universitatis Hauniensis decus

a discipulis missa.

Hauniæ MDCCCLXXVI.

Sumptibus Librariæ Gyldendalianæ (F. Hegel).

Typis excuderunt J. Jœrgensen & Soc.

Lykønskningsskrift

i Anledning af

Johan Nicolai Madvigs

halvtrèdsindstyveaarige Jubilæum

som Lærer ved Kjøbenhavns Universitet

fra

hans Disciple.

Kjøbenhavn 1876.

Forlagt af den Gyldendalske Boghandel (F. Hegel).

Trykt hos J. Jørgensen & Co.

Indhold.

Magister dilectissime!

Si actam ætatem memoria repetes, abhinc L annos his ipsis Idibus Quintilibus Te memineris adulescentem vix XXII annorum in arenam prodire, ut Emendationes Tuas in libros Ciceronis de philosophia defenderes. Illo die summi ingenii, diligentissimi studii, uberrimæ ut in adulescente doctrinæ meritam tulisti laudem, quæ postea magis magisque inclaruit, ut hodie inter præcipua nostrarum litterarum lumina ab omnibus ubique numereris; illud initium fuit longæ et frugiferæ vitæ in docendi munere consumptæ, cum eos, qui præsentes aderant, oratio Tua, remotiores scriptio institueret. Quod si alia est hodie, atque illo tempore fuit, harum litterarum ratio et facies, hoc non minimam partem Tibi debetur. Nam quod in principio Emendationum illarum posuisti, „quod omnibus, qui scribendo litteris prodesse cuperent, diligenter faciendùm esset, ut consilii sui rationem lectoribus exponerent et probarent, in eo nullos studiosius elaborare debere, quam qui illo tempore coniecturarum in scripta veterum libellos ederent, cum omnium maxime in malæ sedulitatis reprehensionem inciderent et adversas multorum voluntates haberent“, id iam non opus est facere nec cuiquam eiusmodi reprehensio verenda est, qui quidem Tua vestigia secutus in hac re versetur, postquam quid agat ars critica Tua maxime opera intellectum est artique

iam certis legibus adstrictæ honos est additus. Hoc autem critici munere quam egregie ipse functus sis, omnes sciunt; quis enim, ut alia omittamus, Emendationes Tuas Livianas et Adversaria Critica non admiratur? Nec vero id solum egisti, ut libros veterum scriptorum quam maxime emendatos legeremus, sed idem multa eorum scripta summa cura summoque ingenio scholis Tuis enarrasti; cuius enarrationis clarissimum specimen libros Ciceronis de finibus publici iuris fecisti, unde omnes intellegere possunt, quæ eius ratio fuerit. Quod autem ad grammaticam Græcam et Latinam pertinet, cum ii, qui per superiora sæcula hæc tractabant, res tantum ipsas explorare et exponere soliti essent, nostra vero ætate non nulli laudabili philosophiæ studio earum causas indagantes systemata composuissent philosophis quam philologis, doctis quam discentibus aptiora, Tu utraque re coniuncta ad priorum simplicitatem ita es regressus, ut omnia ad rationis ordinem composita non minus accurate et plene quam dilucide exponeres; ita autem libri Tui, quos Te proprie institutioni puerorum accommodasse professus es, scripti sunt, ut vel doctissimi philologi, alienigenæ quoque, se multa inde didicisse concedant. Nec is fuisti, qui has lingvas solas aut præcipue studio dignas iudicares, ceteras contemneres; immo hic quoque, ut in omnibus aliis rebus, prava multorum superstitione liberrimus, cum varias lingvas attento oculo examinares, id egisti, ut universam sermonis humani naturam penitus perspiceres aliisque explicares, quo factum est, ut etiam iis discipulis Tuis, qui postea se aliarum lingvarum studio proprie dediderunt, institutio Tua multum prodesset. Iam vero antiquarum litterarum itemque antiquorum institutorum morumque cognitionem intimam singulari quodam amore comparare studuisti: quarum rerum universarum imaginem quam claram

simul et copiosam proposueris, sciunt, qui scholis Tuis interfuerunt, quantam autem singulis partibus lucem attuleris, etiam alii, qui libellos Tuos de Asconio, de scenica Atheniensium poesi, de coloniis, de re militari Romanorum perlegerunt. Quæcumque autem tractavisti, non id Tibi propositum fuit, ut ingenii subtilitate et novis inventis admirationem excitares, quamquam fieri non potuit, quin hanc quoque laudem assequereris, sed sana mens et vera atque simplex ratio Tibi semper summa lex fuit. Nos vero, quamvis magni æstimemus, quæ litteris consignata in publicum edidisti, tamen non minoris facimus, quæ scholis et quotidiana institutione discipulos docuisti, quos ea religione semper instituisti, ut, cum omnia supervacanea abiiceres, tamen nihil, quod ad rem pertineret, omitteres, nihil non accurate examinares, nihil abditi vulneris latere patereris, et refutatis erroribus omnia plana redderes; et cum Te exemplum haberemus imitationi propositum, tum magistrum habuimus summa cura et benevolentia studia nostra regentem et vel hortando et indulgendo vel castigando promoventem.

Noli igitur mirari, quod hodierno die discipuli Tui grato animo hoc opusculorum volumen Tibi tradere audemus. Nam si id semper spectasti, ut nos ad studia excitares, quid potius nobis faciendum fuit, quam ut studiorum fructus aliquos qualescumque Tibi offerremus? Tu, ut soles, benevole de iis iudicabis! Variarum ætatum discipulos tam seniores quam iuniores hic prodeuntes videbis, paucos illos quidem ex ingenti numero; verum, ut in longo tempore fit, non nullos mors abripuit, multos autem, qui ipsi quoque conferre aliquid voluerant, negotia distinuerunt et quotidianus in erudiendis pueris labor; qui quod huic muneri magis quam litteris se dediderunt, Te non habebunt improbantem, qui, quanto opere Tibi hæc quoque res curæ esset, multa docu-

menta dedisti. Omnium autem verbis nos Tibi L annos tanta cum laude actos gratulamur, et cum gratiam Tibi referre non possimus, id saltem optare liceat, ut ex amore nostro lætior Tibi senectus fiat. Quamquam senectutis nomine parum recte utimur, ipsique nobis in hoc reprehendendi videmur, ubi septuagenarium iuvenilem animum gerentem spectamus. Itaque sperare liceat Te semper hunc animum habiturum esse, ut annorum numerus, qui utinam Tibi magnus supersit, numquam Tibi oneri sit, immo semper maiores lætioresque fructus inde capere possis!

I.

De iure et condicione sociorum Atheniensium quæstio historica.

Scripsit

Richardus Christensen, Dr. phil.

Athenienses quo modo ad imperium maritimum pervenerint et qua ratione principatum (τὴν ἡγεμονίαν) inter civitates foederatas communia concilia Deli obeuntes in dominationem (ἀρχήν) verterint, Thucydides accurate exposuit[1]. Partim enim tædio belli contra barbaros iam ultra modum necessitatemque continuati, partim potentiæ Atheniensium in dies crescenti invidentes alii a societate defecerant et bello superati ad officium reducti erant, alii sua ipsi imprudentia socordiaque vires illorum auxerant suasque imminuerant paciscendo, ut pro navibus tributum annuum (φόρον) ipsi penderent. Ex altera parte Athenienses summa ope contenderant, ne societas dirimeretur, et vel vi et armis vel prudenti indulgentia omnes socios in officio retinuerant. Multum etiam gloria eorum rebus terra marique bene gestis parta rem adiuverat, aliqua ex parte etiam quod classes Græcorum consociatorum mare tutum præstabant et quod novis commercii viis apertis e societate

---

[1]) Thuc. I, 96 sqq.

magna commoda ad plerosque sociorum redundabant. Quo factum erat, ut, cum commune ærarium Delo Athenas transportaretur, anno Ol. 81 tertio, a. Chr. 45⁴/₃ [1]), plerique socii tributarii, omnes certe imperio Atheniensium magis minusve obnoxii essent. Quo iure igitur et qua condicione hæ civitates, olim æquo foedere cum Atheniensibus coniunctæ, iam imperio eorum subiectæ, fuerint, hic quæremus.

Atque ante omnia tenendum est, imperium Atheniensium inde ab origine sua ambiguitatem singularem habuisse. Nam nec decreto sociorum communi ad eos delatum nec tamen vi solum et armis partum erat; nec uno impetu, sed sensim ad id pervenerant. Nec in civitates eiusdem fere omnes potentiæ et magnitudinis exercebatur, sed partim in potentiores et quibus aliquo modo parcere necesse esset, partim in minores et quibus tuto liceret imperitare. Inde sequitur, ut ab initio socii non potuerint publice (*officielt*) subiectorum (*ὑπηκόων*) nomine appellari. Quin dubium est, sintne unquam ab Atheniensibus publice ita appellati; certe apud scriptores plerumque, in inscriptionibus publicis semper vel *σύμμαχοι* vel *αἱ πόλεις* appellantur[2]). Postea demum, cum imperium iam inveterasset et prorsus confirmatum esset, sensim „*οἱ σύμμαχοι*“ ab Atheniensibus et *ὑπηκόων* loco habebantur et vulgari ser-

[1]) De tempore optime disputavit Ulricus Koehler in commentatione quæ inscribitur: Urkunden u. Untersuchungen zur Gesch. des delisch-attischen Bundes (Philol. u. hist. Abhdl. d. k. Ak. d. Wiss. zu Berlin 1869, II) p. 99 sqq.

[2]) Qui libellum de re publ. Ath. scripsit, ut hoc exemplo utar, c. 1 ubique eos *συμμάχους* appellat, et in inscriptionibus publicis sæpissime *τοὺς συμμάχους* nominari notum est; etiam Thucydides, quantum video, sæpius hac appellatione utitur, illa *ὑπηκόων* tantum, ubi res id postulare videtur. — *Αἱ πόλεις* apud comicos Atticos non semel occurrunt (velut Aristoph. Acharn. 192; 506; 636; 643; Equit. 802; Teleclid. in Plut. Pericl. c. 16) et in

mone ὑπηκόων nomine appellabantur. Quod autem nominum discrimen αὐτονόμων et ὑπηκόων statuit Boeckhius, hoc nomine non omnes socios esse appellatos, sed eos solos, qui imperio Atheniensium plane essent subiecti [1]), in quo omnes recentiores eum sine ulla dubitatione secuti sunt [2]), id nullam auctoritatem habet. [3]) Thucydides certe, illorum temporum æqualis, quattuor locis ὑπηκόων nomine omnes socios imperio Atheniensium obnoxios comprehendit. [4]) Libri enim VII cap. 57, ubi copiæ Atheniensium in Sicilia recensentur, ipsis Atheniensibus ex urbe et ex cleruchiis commemoratis, aperte § 3 οἱ ὑπήκοοι opponuntur τοῖς ἀπὸ ξυμμαχίας αὐτονόμοις et τοῖς μισθοφόροις, deinde socii ex illo τῶν ὑπηκόων genere enumerantur, primum Iones, tum Æoles, postremo Dores, ita quidem, ut et ii nominentur, qui φόρον ὑποτελεῖς erant (Eretrienses, Chalcidenses, alii — Tenedii — Rhodii), et ii, qui οὐχ ὑποτελεῖς erant φόρου, ναῦς δὲ παρέχοντες, inter Iones Chii, qui postea cum ceteris Ionibus iterum ὑπήκοοι dicuntur, ex Æolia stirpe Methymnæi ναυσὶ καὶ οὐ φόρῳ ὑπήκοοι; sexta demum paragrapho Thucydides ad liberos (αὐτονόμους) socios et ad mercenarios pervenit. [5]) Huic loco convenienter VI, 22, 1 Niciam di-

---

decretis de tribut. soc. ordin. ex Ol. 88, 4 (C. i. A. I n. 37), in decr. de col. Bream deduc. (ibid. n. 31) A v. 14, in decr. Methon. (ibid. n. 40) II v. 43; etiam Thuc. V, 18, 4 et 8 comparari potest. — Interdum αἱ νῆσοι appellantur (Aristoph. Equit. 1319; Plut. l. l. c. 7 extr.).

[1]) Boeckh. in libro de oecon. rei publ. Ath. (Staatsh. d. Ath.) I p. 528: „die immerwährenden Bundesgenossen, welche sich in selbständige (αὐτόνομοι) und unterwürfige (ὑπήκοοι) theilen".

[2]) Etiam Koehler l. l. p. 96 et p. 108 sq.

[3]) Iam abhinc quattuor annos hoc ostendi in Annalibus philologiæ Danicis (Tidskrift for Philologi og Pædagogik) IX p. 302 sqq.

[4]) Patet, nihil ex iis locis effici, in quibus non appareat, omnesne socii an tributarii soli commemorentur, velut VIII, 2, 2.

[5]) Rectissime igitur Madvigius (Adv. cr. I p. 331 sq.) in § 4 verbum quod est αὐτόνομοι post παρέχοντες sustulit.

centem facit: Ὁπλίτας τε οὖν πολλούς μοι δοκεῖ χρῆναι ἡμᾶς ἄγειν καὶ ἡμῶν αὐτῶν καὶ τῶν ξυμμάχων, τῶν τε ὑπηκόων καὶ ἤν τινα ἐκ Πελοποννήσου δυνώμεθα ἢ πεῖσαι ἢ μισθῷ προσαγαγέσθαι, et VI, 43 in enumerando, quantas copias Athenienses in Siciliam miserint, dicit: τριήρεσι μὲν ταῖς πάσαις τέσσαρσι καὶ τριάκοντα καὶ ἑκατὸν καὶ δυοῖν Ῥοδίοιν πεντηκοντόροιν, — τούτων Ἀττικαὶ μὲν ἦσαν ἑκατόν, . . ., τὸ δὲ ἄλλο ναυτικὸν Χίων καὶ τῶν ἄλλων ξυμμάχων, — ὁπλίταις δὲ τοῖς ξύμπασιν ἑκατὸν καὶ πεντακισχιλίοις, καὶ τούτων Ἀθηναίων μὲν αὐτῶν ἦσαν πεντακόσιοι μὲν καὶ χίλιοι ἐκ καταλόγου, ἑπτακόσιοι δὲ θῆτες ἐπιβάται τῶν νεῶν, ξύμμαχοι δὲ οἱ ἄλλοι ξυνεστράτευον, οἱ μὲν τῶν ὑπηκόων, οἱ δ' Ἀργείων, πεντακόσιοι, καὶ Μαντινέων καὶ μισθοφόρων κτλ., et similiter VI, 69, 4 sq. τὸ ὑπήκοον τῶν ξυμμάχων opponitur Ἀργείοις καὶ τῶν ξυμμάχων τοῖς αὐτονόμοις.[1]) Prorsus igitur ex eodem usu loquendi in quarto libro Brasidas civibus urbium Thraciæ et Macedoniæ promittit, se eos ξυμμάχους αὐτονόμους facturum esse[2]).

Ex his locis apparet, ὑπηκόων nomine omnes civitates, quæ quondam ex æquo Atheniensium sociæ fuissent, etiam Chiorum et Methymnæorum, et potuisse appellari et re vera ab Atheniensibus esse appellatas, et ubi, certe apud Thucydidem, οἱ αὐτόνομοι τοῖς ὑπηκόοις opponantur, illa appellatione socios prorsus liberos, qui in certum quoddam tempus ad Atheniensium societatem se applicavissent, significari. Nec hoc, quod ex verbis dilucidis Thucydidis effecimus, eo evertitur, quod apud eundem Thucydidem verba quæ sunt αὐτόνομοι et αὐτονομία etiam de sociis non prorsus liberis ponuntur (velut de Myti-

[1]) His locis comparatis suspicor, l. VII, 20, 2 τῶν ὑπηκόων post ξυμμάχων interpolatoris, non Thucydidis esse.

[2]) Thuc. IV, 86, 1; 87, 3; 88, in quibus locis etiam ἐλευθερίας nomen de eadem re ponitur.

lenæis et Chiis III, 10, 3; 11, 1 et 2; 39, 2; VI, 85, 2, de Samiis VIII, 21, 2).[1]) Nam neque his locis αὐτόνομοι ὑπηκόοις opponuntur, ut nihil inde de nominibus, quibus publice socii ab Atheniensibus appellati sint, possit concludi[2]), et per se patet, αὐτονομίας nomen ex ipsa origine imperii Atheniensium ambiguitatem quandam duxisse[3]), ita ut Athenienses, vel sociis blandiendi causa vel ut nomen speciosum imperio suo prætenderent, eo nomine potuerint eos appellare, quorum condicio non prorsus eadem quæ ceterorum esset quique et sibi et ceteris sociis viderentur speciem quandam plenæ libertatis retinuisse. Hoc vero dubium non est, quin omnes socii, etiam quorum optima condicio esset, et re et nomine ὑπήκοοι Atheniensium fuerint coactique ut eorum imperio obsequerentur (de qua re proprie verbum quod est ὑπακούειν usurpatur[4])), alii tributo

---

[1]) Similiter I, 67, 2 Æginetæ apud Spartiatas queruntur, quod non sint αὐτόνομοι κατὰ τὰς σπονδάς, et I, 139, 1 et 3 Spartiatæ postulant, Athenienses Αἴγιναν αὐτόνομον ἀφιέναι et τοὺς Ἕλληνας αὐτονόμους ἀφεῖναι (cfr. c. 144, 3).

[2]) Non magis quam ex verbis, quæ de sociis sæpissime usurpantur, ἐλευθερία, ἐλεύθεροι, ἐδουλώθησαν, καταδούλωσις, δουλεία (de quibus conferatur Boeckh. l. l. p. 539), efficitur, alios sociorum ἐλευθέρους, alios δούλους publice appellatos esse.

[3]) Id prorsus confirmatur verbis Thucydidis VIII, 64, 3. Etiam quæ Xenophon scripsit in hist. Gr. VI, 3, 7 et alibi, quanquam de posteriore tempore agitur, conferri velim. Hanc vocis ambiguitatem iam alii viderunt, velut Koehler p. 109 et nuperrime Georgius Busolt in commentatione quæ inscribitur: Der zweite athenische Bund in Annal. philol. Fleckeisenii (Jahrb. f. cl. Philol.) VII Supplbd. p. 645 sqq. (maxime p. 658), qui primus, quantum scio, duplex αὐτονομίας genus distinxit, alterum proprio et latiore sensu, cum civitas plenam libertatem retinuerit, alterum („die bundesgenössische Autonomie"), cum ob societatis cum aliis initæ rationes passa sit, de suo iure propter commune omnium sociorum commodum aliquid detrahi.

[4]) Thuc. III, 50, 3; 91, 1; IV, 56, 4; V, 84, 3; 93.

pendendo (φόρον ὑποτελεῖς[1])), alii navibus præbendis (ναυσὶ ὑπήκοοι[2])).

Omnes autem socios eodem iure non fuisse, facile intellegitur. Cum enim Athenienses non uno temporis momento summa imperii potiti essent, sed sensim et pedetentim ad dominatum pervenissent, non potuerat fieri, quin in condicionibus singulis civitatibus imponendis non eadem via in omnes grassarentur. Neque enim ipsorum intererat, omnes civitates æque coerceri, nec semper iræ invidiæque in victos indulgere per tempora licebat, nec credi potest, eos eo iniquitatis et imprudentiæ progressos esse, ut nullum discrimen amicorum et inimicorum facerent, ut iis, qui sua sponte vel certe sine pugna de suo iure cessissent, eandem condicionem imponerent atque iis, qui bello coercendi fuissent ac diu acriterque repugnassent. Itaque ut ex inscriptionibus, quibus tributa sociorum continentur, apparet, in tributis statuendis eos non magnitudinis solum opumve singularum civitatum rationem habuisse[3]), ita in ceteris quoque rebus nec ab initio potuerant omnes socios ad unam et eandem servitutis formam redigere nec postea, imperio plane stabilito, id facere ausi sunt. Quo autem iure singulis quæque temporibus civitas fuerit et quæ iuris diversitas inter singulas civitates intercesserit, quia eius rei exigua apud scriptores antiquos mentio est, non possumus singulatim exponere, sed summatim dicamus necesse est.

[1]) Thuc. VII, 57, 3; I, 19; 56; 66; 80, 2; etiam ὑποτελεῖς omisso verbo quod est φόρον II, 9, 3; V, 111, 4.

[2]) VII, 57, 4; plerumque tamen hi ob paucitatem non una appellatione communi comprehensi, sed proprio nomine Chii et Lesbii (Methymnæi, Mytilenæi) appellati esse videntur.

[3]) De ea re conferatur E. Curtii Hist. Gr. (Gr. Gesch.) II p. 243 sq. (ed. IV).

Ac primum quin, cum ærarium Athenas translatum esset, concilia sociorum communia (κοιναὶ σύνοδοι[1]) Deli haberi desita sint, quanquam de eo nihil traditum est, dubitari nequit. Neque tamen Koehlero assentior suspicanti[2]), in decreto de ærario Athenas transportando[3]) etiam de illis conciliis prorsus tollendis scriptum fuisse, quippe quæ iam pridem re essent sublata. Neque enim eius rei ullum apud antiquos vestigium est, — immo ex verbis, quæ apud Peloponnesios legati Mytilenæorum fecisse dicuntur[4]), effici videtur, etiam posteriore tempore potentissimos socios ad commune consilium ab Atheniensibus adhibitos esse, — nec per se veri simile est, Periclem, quem adversus socios summa prudentia ac moderatione usum esse constat, ausum esse indignationem ob ærarium transportatum suspicionesque sociorum[5]) tali rogatione augere, gravi præsertim bello instante[6]); quanquam id nullam dubitationem habet, re vera in conciliis sociorum communibus iam ante a. 454 pleraque ad arbitrium Atheniensium agi solita esse. Itaque quamvis probabile sit, communia concilia ex illo tempore Deli haberi desita esse, non potest dubitari, quin Atheniensibus etiam post ærarium Athenas translatum per aliquantum temporis spatium necesse fuerit, quotiescunque de summis rebus sociorum ageretur, potentiores saltem civitates ad consilium adhi-

---

[1]) Thuc. I, 97.

[2]) Koehler l. l. p. 101.

[3]) Plut. Aristid. c. 25.

[4]) Thuc. III, 11.

[5]) Hellenotamias, h. e. Athenienses ipsos, non Samios, qui vulgo putantur, de ærario transportando tulisse, Madvigius ingeniosa emendatione verborum quæ sunt in Plutarchi Aristide c. 25 evicit (Adv. cr. I p. 150).

[6]) Plut. Pericl. c. 12; cfr. etiam Iustin. III, 6, 4, quanquam is in nomine Lacedæmoniorum errat, ut monstravi in libro de sophistis (Sophisterne, 1871) p. 315 n. 2.

bere et formam aliquam conventuum communium Athenis habendorum substituere, qua potestas illis fieret sententias de talibus rebus dicendi.

Quod autem ad internam cuiusque civitatis suæ rei administrationem attinet, non est dubium, quin Athenienses, etsi ubique partibus popularium faverint[1]) atque, ubicunque id se tuto facere posse arbitrarentur, imperium populare instituerint[2]), et re vera apud plerosque sociorum res e plebis arbitrio administratæ sint[3]), tamen non ausi sint eam formam rei publicæ, quæ apud ipsos esset, omnibus sociis obtrudere. Apud Mytilenæos certe, cum ab Atheniensibus deficerent, res in manibus optimatium fuisse videntur[4]). Ne eos quidem socios, qui armis ad officium reducti essent et coacti patriam rei publicæ gerendæ formam mutare, postea in illam restitui non potuisse, certum est, si quidem Sami etiam post bellum cum Atheniensibus male gestum imperium penes op-

---

[1]) Ut plane dicit scriptor lib. de re publ. Ath. c. 1, 14; c. 3, 10.

[2]) Erythris hoc, fortasse iam Cimonis ætate, factum esse apparet ex decreto populi Atheniensium (C. i. Gr. n. 73 b, I Add. p. 890 sq.; C. i. A. I n. 9), quo senatus sorte ductus apud Erythræos iussu Atheniensium instituitur et de numero atque ætate senatorum decernitur. — Ex eodem tempore vulgo huc trahuntur, quæ apud Demosthenem in oratione c. Aristocr. § 205 de rebus Pariorum (vel, si Onckenio (in libro qui inscribitur: Athen u. Hellas I p. 133 n. 3) credimus, Thasiorum) eversis leguntur. Sed in hac re nomina Cimonis et Miltiadis permutata esse, iam alii viderunt, H. Sauppe in commentatione de causis magnitudinis iisdem et labis Athen. (teste G. Vischero in libello de Cimone p. 56) et A. Philippi in libro qui inscribitur: Der Areopag u. die Epheten p. 250.

[3]) Diod. Sic. XIII, 48, 5. Tenendum autem est, et rem exaggeratam esse posse, et de belli Peloponnesiaci temporibus agi, quibus prorsus veri simile est Athenienses multo violentius quam antea in socios grassatos esse.

[4]) Thuc. III, 27.

timates fuisse satis constat[1]). Quam rationem in hac re Athenienses secuti sint, nunc non licet accuratius explanare; hoc tantum certo confirmari posse videtur, eos, certe quam diu Pericles rebus præfuerit, utilitatis maxime ratione ductos esse nec longius progressos esse, quam quo progredi sibi tuto licere putarent.

Omnes civitates et concilia populi (ἐκκλησίας) et senatum (βουλήν) retinuisse, satis notum est ex Thucydidis narratione; exempla si afferre opus sit, lectorem allego ad ea, quæ de Brasidæ in Thraciam Macedoniamque expeditione scripsit[2]). Ne magistratuum quidem, qui rebus sociorum præessent, Athenis missorum extra rem militarem ullum vestigium est. Belli temporibus Athenienses præsidia civium et phrurarchos Atticos oppidis sociorum imposuisse, notum est; etiam pacis tempore, quotiescunque id necessarium putabant, hoc fecisse videntur[3]). Et omnino hoc tenendum, eos, cum belli necessitas urgeret vel cum rei militaris ratio id postulare videretur, multa extra ordinem et sociis imperasse et ab iis impetrasse, ut a tributariis in tali tempore haud raro milites et naves exigebantur[4]). Extra rem militarem autem, ut dixi, magistratuum ab Atheniensibus sociis impositorum nullum vestigium est. Boeckhius id quidem, quanquam

---

[1]) Cfr. C. G. Kruegeri comment. hist., Dionysii Hal. historiographicis subiect., cap. V p. 329. Quod is eodem loco contendit, Periclem Samo expugnata plebi civitatis regendæ potestatem dedisse, postea vero optimates potentiam recuperasse, id solo Diodori testimonio nititur (XII, 28, 4); nec a Thucydide nec a Plutarcho eius rei ulla mentio fit. Cum autem dicant, ante bellum coeptum Athenienses illud fecisse, per se veri simile est, non integram relictam esse patriam Samiorum rem publicam.

[2]) Etiam ex inscriptione supra commemorata de Erythræorum senatu hoc patet.

[3]) Hoc quoque ex illo de Erythræis decreto efficitur.

[4]) Boeckh. l. l. p. 535 sq.

concedit, plerumque etiam minimas civitates suos magistratus retinuisse[1]), universe de omnibus sociis contendere non audet et putat, Athenienses in nonnullas civitates, quæ inferioris iuris essent, „eigene Archonten“ misisse, ἐπισκόπους sive ἐπισκέπτας[2]), φύλακας, κρυπτούς, alios. His nominibus magistratus sociorum Athenis missos significari, cum harmostis Lacedæmoniorum comparandos, e verbis Theophrasti ex primo Πολιτικῶν libro apud Harpocrationem servatis[3]) effici vult. At Theophrasto in illa comparatione nihil aliud nisi invidia nominum obversatum esse videtur, et ex ipsis Harpocrationis verbis non minus quam ex Aristoph. Av. v. 1022 sqq. elucet, τοὺς ἐπισκόπους prorsus non ut per longius temporis spatium rebus sociorum quorundam præessent, sed tantum res sociorum, omnium sine dubio[4]), inspiciendi causa mitti solitos esse. Fuerunt igitur non magistratus apud socios, sed curatores apud Athenienses[5]), in urbes sociorum — quotannis an cum causa esse videretur, incertum[6]) — missi. Et hoc confirmari videtur illo decreto, quod sæpius commemoravi, de Erythræis. Nam si inscriptio valde corrupta a Boeckhio et Kirchhoffio recte

[1]) Boeckh. p. 533: „Wollte man's von den Unterwürfigen bezweifeln, so beweisen wir es mit den Delischen Archonten, welche in Olymp. 86 und 100—101 vorkommen, wo doch Athen Delos so in seiner Gewalt hatte, dass es im Besitz des Heiligthumes war und dieses durch seine Behörden verwalten liess“.

[2]) Sic lex. Seguer. in Bekk. Anecd. Gr. I p. 254.

[3]) Harpocr. v. ἐπίσκοπος· Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ τοῦ Λινδίων φόρου καὶ ἐν τῷ κατὰ Λαισποδίου. Ἐοίκασιν ἐκπέμπεσθαί τινες ὑπὸ Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκεπτόμενοι τὰ παρ' ἑκάστοις. Θεόφραστος γοῦν ἐν α' τῶν πολιτικῶν τῶν πρὸς καιροὺς φησὶν οὕτω· „πολλῷ γὰρ κάλλιον κατά γε τὴν τοῦ ὀνόματος θέσιν, ὡς οἱ Λάκωνες ἁρμοστὰς φάσκοντες εἰς τὰς πόλεις πέμπειν, οὐκ ἐπισκόπους οὐδὲ φύλακας, ὡς Ἀθηναῖοι“.

[4]) Omnes enim ὑπηκόους appellari potuisse, supra monstratum est.

[5]) Ea de causa mercedem (μισθόν) accipiebant (Aristoph. l. l. 1025).

[6]) Populiscito semper opus fuisse, cum mittendi essent, fortasse effici potest ex verbis episcopi apud Aristophanem: φαῦλον βιβλίον Τελέου τι.

restituta est, decernitur v. 12 sqq., *ἀποκυαμεῦσαι καὶ καταστῆσαι τὴν μὲν τέως βουλὴν τοὺς ἐπισκόπους καὶ τὸν φρούραρχον, τὸ δὲ λοιπὸν τὴν βουλὴν καὶ τὸν φρούραρχον*, unde apparet, episcopos non, ut phrurarchum, perpetuos fuisse, sed tantum missos esse, ut res Erythræorum in formam Atheniensibus placitam redigerent; alioquin non fuisset causa, cur non, sicut phrurarcho, etiam episcopis in futurum senatus instituendi ius esset[1]). — Eiusdem generis sine dubio *οἱ κρυπτοί* fuere, sed in occulto agebant[2]). *Φύλακας* suspicor præfectos præsidiorum Atticorum apud socios fuisse, a phrurarchis non diversos, talesque haud dubie etiam *ἄρχοντες* illi apud Samios fuerunt, quos cum præsidio Atheniensium Pissuthni deditos esse Thucydides narrat[3]). Custodes hos etiam rebus, quæ rem militarem non attingerent, haud raro se immiscuisse, sane credibile est; sed quin id, quanquam minime invitis Atheniensibus, tamen non semper legitime factum sit, vix dubium est. — Nec quæ Boeckhius exempla protulit, ut sententiam probaret, ullam vim habent. Nam qui apud Mytilenæos post a. 427 commemorantur *ἄρχοντες*[4]), ii sine dubio præfecti colonorum Atticorum, Lesbum deductorum, fuerunt, et prorsus veri simile est, et Lesbi et alibi, quocunque coloniæ civium Atticorum poenæ et præsidii causa[5]) deductæ essent, præ-

---

[1]) Ceterum ex hac inscriptione et ex alia eiusdem fere ætatis ad Erythræos pertinenti (C. i. Gr. n. 73; C. i. A. I n. 10), in qua quin commemorentur episcopi nulla dubitatio esse potest, apparet, hos curatores iam Cimonis temporibus fuisse institutos.

[2]) Lex. Seguer. in Bekk. Anecd. Gr. I p. 273 sq.: *Κρυπτή· ἀρχή τις ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων πεμπομένη εἰς τοὺς ὑπηκόους, ἵνα κρύφα ἐπιτελέσωσι τὰ ἔξω γινόμενα. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ κρυπτοὶ ἐκλήθησαν.*

[3]) Thuc. I, 115.

[4]) In oratione Antiphontis de cæde Herod. § 47. Orationem post defectionem Mytilenæorum habitam esse, patet ex § 76 sqq.

[5]) Non omnes cleruchias Atheniensium hac de causa sociis invitis deductas esse, A. Kirchhoff monstravit in commentatione quæ in-

fectos colonorum in universum ius quoddam in socios habuisse. Nec ad Lysiæ orationem p. Polystr. § 6: *πρῶτον μὲν ἄρξας ἐν Ὠρωπῷ οὔτε προέδωκε καὶ ἑτέραν πολιτείαν κατέστησε, τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα,* provocare debuit; nam Oropii, etsi a Thucydide *ὑπήκοοι* Atheniensium dicuntur[1]), nec unquam inter socios fuerunt aut in catalogo sociorum occurrunt, nec fuerintne eadem condicione qua ceteri *ὑπήκοοι* constat, nec qui qualesve illi *ἄρχοντες* fuerint omnino scimus, ut nihil obstet, quo minus eos præsidiorum præfectos fuisse statuatur. Nec ex fictæ legis fragmento in Aristophanis Avibus v. 1050: *ἐὰν δέ τις ἐξελαύνῃ τοὺς ἄρχοντας καὶ μὴ δέχηται κατὰ τὴν στήλην* quicquam ad Boeckhii sententiam probandam effici potest; nam apparet, ad episcopum a Pisthetæro pulsum spectari neque necessario alios significari quam aut curatores aut magistratus urbes sociorum præsidio occupandi causa missos. Hoc igitur tenendum, magistratuum perpetuorum Athenis ad socios missorum extra rem militarem nullum certum exemplum exstare. Fieri potuisse, ut interdum in unam aut alteram urbem mitterentur, non negaverim.

Ad quæstionem de potestate iuris dicundi sociis relicta transeuntibus nobis primum a ceteris causis *αἱ δίκαι ἀπὸ συμβόλων* prorsus separandæ sunt. *Σύμβολα* sive pacta, quibus hominibus non eiusdem civitatis formulæ causarum agendarum instituerentur, Athenienses cum sociis habuisse, et universe comprobatur testimonio Aristotelis in lexicis Seguerianis servato[2]) et de Phaselitis inscriptione

scribitur: Über die Tributpflichtigkeit der attischen Kleruchen (Philol. u. hist. Abhdl. d. k. Ak. d. Wiss. zu Berlin 1873).

[1]) Thuc. II, 23, 2.

[2]) Bekk. Anecd. Gr. I p. 436: *Ἀθηναῖοι ἀπὸ συμβόλων ἐδίκαζον τοῖς ὑπηκόοις· οὕτως Ἀριστοτέλης* et sine dubio ex eodem fonte Hesych. I p. 259 ed. Schmidt.: *ἐδίκαζον Ἀθηναῖοι ἀπὸ συμβόλων τοῖς ὑπηκόοις.* Paulo ali-

publica confirmatur[1]). Neque tamen cum omnibus sociis talia pacta eos habuisse, ex oratione Antiphontis de cæde Herodis § 78 constare videtur[2]). Haud dubie enim et primis societatis temporibus et postea cum compluribus sociorum illiusmodi *σύμβολα* fecerant, ut non necesse esset ad commune sociorum concilium, quod Deli quarto quoque sine dubio anno habebatur, refugere. Nam et sæpe socio-

---

ter Poll. VIII, 63: *ἀπὸ συμβόλων δίκαι, ὅτε οἱ σύμμαχοι ἐδικάζοντο.* Boeckhio, eos tantummodo socios, qui inferioris iuris essent, *ὑπηκόων* nomine comprehendenti iure mirum videbatur, his tale ius fuisse, eaque de causa eo magis inclinabat animus, ut negaret, *δίκας ἀπὸ συμβόλων* Atheniensibus cum sociis fuisse (p. 529 a). Qui mecum statuerit, omnes socios *ὑπηκόους* appellari solitos esse, nullam videbit difficultatem. Etiam Grote in historia Græciæ VI p. 57 n. 1 (III p. 347 n. 83 vers. Germ.) negat, *σύμβολα* eiusmodi Atheniensibus et sociis intercessisse, et putat, Aristotelem de societate quarti a. Chr. sæculi cogitasse, quam sine ulla probabilitate, nemo non videt.

[1]) C. i. Gr. n. 86, denuo edita a Koehlero in Herme Huebneri VII (1873) p. 159 sqq. — Nonnulli (E. Curtius in hist. Gr. II p. 219 et p. 812 n. 113 ed. IV, Classen in ed. Thucyd., alii) etiam Thucydidem in hac re auctorem citant, qui I, 77, 1 legatos Atheniensium Spartæ patriam suam a vituperationibus ceterorum Græcorum vindicantes facit his verbis: *Καὶ ἐλασσούμενοι γὰρ ἐν ταῖς ξυμβολαίαις πρὸς τοὺς ξυμμάχους δίκαις καὶ παρ' ἡμῖν αὐτοῖς ἐν τοῖς ὁμοίοις νόμοις ποιήσαντες τὰς κρίσεις φιλοδικεῖν δοκοῦμεν.* Boeckhius contra l. l. *τὰς ξυμβολαίας δίκας* intellegit causas, in quibus *περὶ συμβολαίων* agatur, idemque contendunt Grote l. l., Koehler in Herme l. l. p. 162, alii. Non negaverim, Thucydidem hic aptius de iis solis causis dicturum fuisse, quæ semper a iudicibus Atheniensibus diiudicarentur. Sed offendit me, quod tum *δίκαι περὶ συμβολαίων* solæ commemorarentur, cum etiam multæ aliæ causæ sociorum Athenas deferrentur; nec satis mihi causæ esse videtur cur statuamus, Thucydidem de *δίκαις ἀπὸ συμβόλων* cogitare non potuisse. Itaque ut antea (in Annal. philol. Dan. IX p. 308) etiam nunc eo magis adducor, ut putem, duplex causarum genus significari, alterum *δικῶν ἀπὸ συμβόλων*, alterum earum, quæ semper Athenis diiudicandæ essent; tum vero sine dubio cum Classenio scribendum: *ἔν τε ταῖς ξυμβολ. κτλ.*

[2]) Hoc contra Schoemannum (D. att. Proc. p. 778) aliosque Boeckhius l. l. probavit.

rum non minus quam Atheniensium intererat, controversias quam celerrime componi, et sæpe ne optabant quidem nec socii nec Athenienses, causas arbitrio ceterorum sociorum committi. Hæc σύμβολα mutata civitatum condicione vel manserant vel si Athenienses ea plus minusve ad suum commodum detorserant, ut non iam ex æquo utrique essent, nomen in speciem retinuerant. Ne hoc quidem incredibile est, eos post a. 454 cum una et altera e tributariis civitatibus, ubi commercii rationes id postulare viderentur, σύμβολα fecisse aut plane ex æquo civibus utriusque civitatis aut quæ tamen a solita eiusmodi pactorum notione et forma non multum discederent, cum præsertim in Lycia, Ponto, alibi socii sæpe nomine magis quam re tributarii et ὑπήκοοι essent[1]).

Ab illo vero δικῶν ἀπὸ συμβόλων genere eæ causæ prorsus diversæ erant, quæ semper Athenis diiudicabantur. Eius generis sunt causæ, quas nos fere *internationale Sager* dicimus, h. e. aut Athenarum cum foederata civitate vel duarum civitatum foederatarum aut civis Atheniensis cum cive foederatæ urbis vel sociorum non eiusdem civitatis. Conciliis enim communibus sociorum inde ab initio potestatem fuisse omnes sociorum inter se controversias, quas aut non potuissent aut noluissent ipsi per se componere, vel suffragiis omnium legatorum vel per arbitros ex ipsis lectos diiudicandi, Grote recte statuit[2]). Igitur

[1]) De hac re optime disputavit Koehler in commentatione de soc. Del. p. 111 sqq.

[2]) Grote l. l. VI p. 49 sq. (III p. 342 sq. vers. Germ.). Eum cum aliis secutus est Schoemannus (Verfassungsgesch. Athens p. 87 sq.; Gr. Alt. II p. 103 ed. III); sed quod idem statuisse videtur, perpetuum tale iudicium sociorum institutum fuisse, id iure Koehler negavit l. l. p. 90 sq. Onckenii opinionem, Hellenotamiis aliquam iuris dicundi potestatem tributam fuisse (Ath. u. Hell. II p. 111), vix quisquam probabit.

cum concilia sociorum Deli haberi desita essent, non poterat fieri, quin hæc quoque iuris dicundi potestas ad iudices Athenienses rediret, et per se apparet, omnibus sociis, etiam qui optimo iure essent, in eiusmodi causis Athenis ius repetendum fuisse[1]). Hoc re vera ita fuisse, luculentissimo exemplo docemur Samiorum cum Milesiis de Priene bellum gerentium et Milesiis auctoribus Athenas vocatorum, ut ius darent repeterentque[2]).

De ceteris causis, cum civis cum cive eiusdem civitatis ageret, difficilior quæstio est. Boeckhii sententia est[3]), eas civitates, quas αὐτονόμους vocat, h. e. (Samiorum,) Chiorum Lesbiorumque, plenam iuris dicundi potestatem („*die volle Gerichtsbarkeit*") retinuisse, tributariis autem omnibus sociis, si causa publica capitalisve esset vel si in privata causa lis certæ pecuniæ modum excederet, Athenas ius repetendi causa navigandum fuisse (*sie waren „dem Gerichtsbann unterworfen*"). Eum Schoemannus, C. F. Hermannus, E. Curtius, alii secuti sunt[4]). Grotio, quan-

---

[1]) Hoc iam Grotio (l. l. VI p. 50 sqq., III p. 342 sqq. vers. Germ.) et Schoemanno (Verfassungsgesch. Athens p. 88) probabile videbatur. Pro certo id Koehler (l. l. p. 97 et p. 101) posuit, hanc Pericli eiusque factioni propriam laudem vindicans, quod imperium Atheniensium in formam quandam legitimam redegerit, „dadurch dass die Konflikte Athens und seiner Beammten mit den unterthänigen Städten ebenso wie die Prozesse der Bürger verschiedener Städte der Entscheidung der athenischen Geschwornengerichte unterstellt . . . waren".

[2]) Δίκας λαβεῖν καὶ δοῦναι, Plut. Pericl. c. 25; cfr. Thuc. I, 115. — Ceterum luce clarius est, huiusmodi causas δίκας ἀπὸ συμβόλων appellari non potuisse et errasse eos (Schoemannum, Curtium, alios), qui statuerint, per abusum omnes causas sociorum, quæ apud iudices Athenienses agerentur, illo nomine appellatas esse. Nec Curtio assentiri possum statuenti, Athenienses, ut imperium magis tolerabile fieret, finxisse, iura, quæ metropoli in colonias esse solerent, sibi ipsis in socios esse debere.

[3]) Boeckh. l. l. p. 528 sqq.

[4]) Schoemann. Ant. iur. publ. Gr. p. 432; Gr. Alt. II p. 106 ed. III; D. att. Proc. p. 780; Verfassungsgesch. Athens p. 87 sqq.; C. F.

quam in summa Boeckhio assentitur, tamen hoc nimis subtiliter ab eo poni visum est[1]), et in eandem fere sententiam Koehler disputavit his verbis[2]): „Nun ist allerdings nicht anzunehmen, dass der Gerichtszwang zu irgend einer Zeit auf das ganze Bundesgebiet factisch ausgedehnt gewesen sei, ebenso wenig wie dies nachgewiesenermassen in Bezug auf die Tributpflichtigkeit der Fall war. Unter den in Folge ihrer Lage oder sonstiger Umstände priviligirten Städten befanden sich auch solche, welche, wie wohl die Mehrzahl der pontischen, mit dem Vorort in gutem Einvernehmen und lebhaftem Verkehr standen, und mit denen gewiss Staatsverträge über die gegenseitige Rechtshülfe bestanden. Allein der Gerichtszwang war doch die Regel u. s. w.“

Athenienses omnibus sociis longe maiorem partem iuris dicundi potestatis ademisse, id quod Boeckhius vult, non potest credi. Post ærarium demum Athenas translatum eos omnibus simul tributariis tale quid imposuisse, prorsus incredibile est. Quis credat, Periclem suis persuasisse aut permisisse, ut omne ius æquitatemque tam violenter obtererent, aut socios iniuriam tam gravem æquo animo laturos ac non extemplo ut iugum excuterent arma capturos fuisse? Nam Græco homini nullum certius signum servitutis erat quam aliunde ius repetere coactum esse. — Ne una quidem cum ærario translato ausi sunt iustam sociorum ob id indignationem alia iniuria augere, cum præsertim grave bellum instaret. — Relinquitur, ut sensim id fecerint et maxima ex parte iam ante a. 454, ut,

Hermann. Lehrb. d. gr. Ant. I § 157; Curtius Gr. Gesch. II p. 218 sq. Ipse in libro de sophistis p. 313 et in Annal. philol. Dan. IX p. 309 Boeckhium secutus sum.

[1]) Grote l. l. VI p. 57 n. 1 (III p. 347 n. 83 vers. Germ.).

[2]) In Herme l. l. p. 161.

quotiescunque singulæ civitates tributariæ factæ essent, eas plena sui iuris potestate privarent. Naxios igitur et Thasios quis sibi persuaserit iam undecimo vel quarto decimo societatis anno pæne sui iuris esse desisse? Thasios tributarios factos Thucydides dicit, iuris dicundi potestate omni fere exutos ne verbo quidem commemorat[1]); nec Plutarchus in pacis condicionibus enumerandis eius rei ullam mentionem facit[2]). Naxum bello superatam Thucydides δουλωθῆναι narrat[3]); sed hoc verbum certe magis ex noto usu loquendi, quem supra attigi, posteriorum temporum, cum omnes socii iam pridem ὑπηκόων loco haberentur, positum est, quam ut significaretur, servos pæne Naxios factos esse. Qua poena Naxii affecti sint nescio, hoc vero contendere audeo, non potuisse fieri, ut in omnibus causis maioris momenti Athenis ius repetere cogerentur. Et Samios, cum male re gesta tributarii facti essent, num credi potest plenam fere sui iuris potestatem amisisse? Scio equidem, Thucydidem dicere, belli Peloponnesiaci tempore Athenienses iis αὐτονομίαν reddidisse[4]). Sed inde non sequitur, ut illa tam gravi poena Athenienses ausi sint eos affligere; etiam si plus iis reliquerunt et postea eos in pristinum statum restituerunt, Thucydides illo verbo uti potuit. Iam alios tributarios, qui non multo infra Thasios et Samios potentia essent, qui credi potest hoc passuros fuisse? Quis non intellegit, Atheniensium imperium prorsus intolerabile futurum fuisse, si

[1]) Thuc. I, 101 extr.

[2]) Plut. Cim. c. 14. Si quis ad notam illam Hegemonis Thasii causam, quam apud iudices Athenienses diiudicandam fuisse constat (Athen. IX p. 407 b), refugere velit, prorsus nescimus, cuius civitatis accusator fuerit, ut nihil impediat, quo minus statuamus, eum Thasium non fuisse.

[3]) Thuc. I, 98.

[4]) Thuc. VIII, 21, 2.

omnes fere socii servorum pæne loco fuissent, et odium multo maius in Athenienses apud socios futurum et multo prius in bellum exarsurum fuisse, quam re factum videmus? Nec intellego, quemadmodum eæ civitates, quæ voluntate ipsarum ut tributum pro navibus penderent pepigissent nec postea bello ad officium reductæ essent, omnes iuris dicundi potestate privari potuerint. Ponti porro accolis, Lyciis aliisque, qui imperio Atheniensium ægre ac nomine pæne obtemperabant quibusque omni modo parcere Atheniensibus summo opere necesse erat, qui fieri potest ut talem condicionem Athenienses ausi sint imponere? Cum Phaselitis σύμβολα de iure dando repetendoque facta videmus; etiam cum aliis e tributariis probabile nobis videbatur eiusmodi pacta inita esse: quo modo hæc cum Boeckhii sententia congruunt? Tricennali pace anni 445 etiam universe de autonomia sociorum aliquid statutum esse videtur[1]): num Athenienses talem pacis condicionem accepturos fuisse credemus, si re vera omni fere sui iuris potestate multo maior pars sociorum privata fuisset? Non negaverim, uni et alteri civitati, fortasse pluribus, eam condicionem impositam esse, ut diiudicatio quarundam causarum apud iudices Athenienses fieret, sicut belli Peloponnesii tempore Mytilenæis interdictum fuisse videmus, ne causas capitales ipsi diiudicarent[2]), nec dubitaverim contendere, ut hoc exemplo utar, Æginetis in plerisque causis ius Athenis repetendum fuisse. Id quoque concesserim, nonnulla illorum συμβόλων, quæ supra commemoravi, cum quæque civitas tributaria facta esset vel cum occasio esse videretur, ab Atheniensibus ad

[1]) Thuc. I, 67, 2.

[2]) Antiph. de cæde Herod. § 47; cfr. etiam § 61 sq. Etiam ex Isocratis Panathenaico § 66 effici videtur, Athenienses de capite sociorum interdum iudicasse.

commodum ipsorum detorta esse, ut causæ, quæ ex iis iudicandæ erant, non iam proprio vocabuli sensu *δίκαι ἀπὸ συμβόλων* essent. Etiam hoc suspicor, post Periclis mortem Cleone, Alcibiade, aliis auctoribus Athenienses, ut in tributis statuendis, ita in hac quoque re violentius in socios grassatos esse. Ne id quidem videtur posse negari, episcopos illos ad socios missos interdum ius inter eos dixisse; certe Aristophanes aliquid eiusmodi significare videtur[1]). Sed omnium tributariorum in ea re eandem condicionem fuisse, prorsus nego. Nec in scriptis antiquorum quicquam exstat, quod cogat hoc statuere. Scriptor libelli de re publ. Athen., Isocrates, Athenæus, quos auctores citant, nihil aliud dicunt nisi universe sociis ius Athenis repetendum fuisse[2]); sed hoc etiam si, ut supra monstratum est, omnes causæ sociorum non eiusdem civitatis vel diversarum civitatum ad iudicia Atheniensium redibant, recte dicere potuerunt; et multæ aliæ causæ sine dubio sociis apud iudices Athenienses agendæ erant.

Certe igitur non omnium sociorum idem ius erat; duo autem sociorum genera secundum iura iis ab Atheniensibus relicta nemo distinguet, qui meminerit, quo modo Athenienses ad dominatum, sensim et sociis ipsis ex parte non invitis, pervenerint. Re quoque sociorum condicionem longe diversam fuisse constat, si quidem minores civitates imperiis violentis Atheniensium multo magis quam potentiores expositæ erant. Sed ne in eo quidem Athenienses ullius rei rationem ducebant nisi quid prudentia sibi suaderet. Cum vero eo res adducta esset, ut tribus solis

---

[1]) Aristoph. Av. 1032: *οὐκ ἀποίσεις τὼ κάδω;*

[2]) *Π. πολ. Ἀθην.* c. 1, 16: *τοὺς συμμάχους ἀναγκάζουσι πλεῖν ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε*; Isocr. Panath. § 63: *τάς τε δίκας καὶ τὰς κρίσεις τὰς ἐνθάδε γιγνομένας τοῖς συμμάχοις*; Athen. IX p. 407 b: *καθ' ὃν δὲ χρόνον θαλασσοκρατοῦντες Ἀθηναῖοι ἀνῆγον εἰς ἄστυ τὰς νησιωτικὰς δίκας, κτλ.*

iisque potentissimis civitatibus officium naves præbendi maneret, ceteræ tributariæ essent, facile factum est, ut tributum quasi signum inferioris iuris et condicionis esset. Illis semper aliquo modo parcere Atheniensibus necesse erat et primis saltem annis post ærarium Athenas translatum etiam eos ad commune consilium de summis sociorum rebus adhibere. Minime igitur mirum, si et sibi et aliis videbantur præcipuum quoddam genus sociorum liberorum (αὐτονόμων καὶ ἐλευθέρων) efficere, a ceteris tributariis diversum. Nec tamen inde sequitur, ut illi plenam sui iuris potestatem retinuerint, his omnibus ea prorsus adempta fuerit, quod quo minus statuamus, nota illa prudentia moderatioque Periclis toties probata obstat.

II.

Om Dativ med Infinitiv i Oldslavisk som formeentlig svarende til andre Sprogs Accusativ med Infinitiv.

Af

C. W. Smith, Dr. phil.,
Docent ved Universitetet i Kjøbenhavn.

Accusativ med Infinitiv er en Construction, som hovedsagelig har hjemme i de to classiske Sprog, men forekommer dog ogsaa udenfor denne Gruppe, navnlig i den germaniske Sprogfamilie, ikke blot i Gothisk og Oldhøitydsk, hvor den muligviis, ligesom i Oldslavisk, kunde tilskrives Efterligning af græsk eller latinsk Syntax, men ogsaa i Oldnordisk, hvor Phænomenet ikke lader sig forklare paa denne Maade. Ligeledes skal den i enkelte Exempler kunne paavises i Sanskrit og Zend, hvad der synes at tyde paa, at denne Udtryksmaade overhovedet falder let og naturlig for Talen i japhetiske Sprog, og at det er tilfældigt, naar den i andre Sprogfamilier af denne Race ikke er kommen til Udvikling. Dette synes ogsaa at fremgaae af den Lethed, hvormed den kan efterlignes og forstaaes i Sprog, for hvilke den ellers er fremmed. Men saa let den er at komme tilrette med for den umiddelbare Sprogsands, saa

vanskelig og gaadefuld stiller den sig for den grammatiske Reflexion i de europæiske Sprogs historiske Tid. Allerede i den græske Oldtid har den voldt Grammatikerne Hovedbrud, og i vort Aarhundrede er den bleven Gjenstand for en omfangsrig Literatur. Naar jeg her indlader mig paa at give et Bidrag til denne, saa nærer jeg intet sangvinsk Haab om at kunne hidføre Problemets endelige Løsning; jeg vil kun forsøge at belyse nogle enkelte Sider derved i den Tro, at dette maaskee kunde have noget Værd. For at kunne udfinde den for os skjulte Tankeforbindelse, hvoraf Accusativ med Infinitiv er fremgaaet, maa vistnok først dens to Bestanddele særlig undersøges; man maa søge at klare sig, hvad Infinitiven er, og hvad Accusativen er. Begge Dele er ogsaa forsøgt paa forskjellig Maade.

I.

Hvad det første Spørgsmaal angaaer[1]), kan det vistnok ansees for et sikkert Resultat af vor Tids comparative Sprogvidenskab, at Infinitiven i den Skikkelse, hvori vi nu kjende den, ikke har hørt med til det oprindelige japhetiske Conjugationssystem, men først paa et senere Trin er fremgaaet af declinable Verbalsubstantiver af den Art som *actus* og *actio*, der tidligere have opfyldt dens nuværende Functioner, idet de have kunnet forbindes med Objecter og andre med et Prædicatsverbum forenelige Sætningsdele, hvorpaa

[1]) Bopp. über das Conjugationssystem der Sanskritsprache in Vergleichung mit jenem der griechischen, lateinischen u. s. w., Frankfurt a. M. 1816. — E. Wilhelmus, de infinitivi forma et usu, Isenaci 1872. — E. Herzog, die syntax des infinitivs (Jahrbücher für classische philologie, 1873). — J. Jolly, geschichte des infinitivs, München 1873.

der i Latin endnu haves Exempler hos Plautus, saasom: *quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est?* (Most. I, 1, 33); *quid tibi huc ventio est? quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est amicam meam?* (Truc. II, 7, 61—63). Ligeledes findes i Oldslavisk Forbindelser som: po prijętii mi otъ boga velikyj darъ, ordret: *post acceptionem mihi a deo magnum donum*, efterat jeg havde modtaget en stor Gave af Gud; po sъtvorenii komisu obyčenyję pozory, *postquam comes solita spectacula fecit.*[1]) Saadanne declinable Substantiver, styrede af Prædicatsverbet i de behørige Casus, have oprindelig gjort den Tjeneste, som nu Infinitiven gjør; de celtiske Sprog skulle endnu befinde sig paa dette Standpunkt, saa at man i deres Grammatik med Urette taler om en modus infinitivus. Det latinske Gerundium er vistnok ogsaa at betragte som en Levning af denne ældre Sprogbygning, men sagtens er dets Dannelse og Brug senere paa særlig latinsk Grund bleven betydelig udvidet. Det næste Udviklingstrin er det, hvorpaa Vedasanskrit og Zendsproget skulle staae, idet her de paa denne Maade fungerende Verbalsubstantiver have tabt deres Bøielighed og kun ere brugelige i enkelte Casus, sædvanligst Accusativ eller Dativ, efter de Flestes Mening undertiden ogsaa Locativ, sjeldnere Instrumentalis, neppe nogensinde Genitiv eller Ablativ, og i ethvert Tilfælde aldrig Nominativ. Som enestaaende stivnede Casusformer af Ord, der ellers ere komne ud af Brug, ere de altsaa blevne til et Slags Adverbier. At et indeclinabelt Ord ingen Casus har, synes at være en Tautologi, og vi Udenforstaaende kunde derfor være tilbøielige til at troe, at Udviklingen af en egentlig Infinitiv i disse Sprog

---

[1]) Miklosich, vergleichende syntax der slavischen sprachen, S. 376.

Æn. II, 738 seq. Nescit Æneas, quo modo Creusa mortua sit; quin fato sibi erepta et mortua sit, dubitare vix potest. Quis est enim, cui non versus 792—94 in memoriam revocent Odyss. XI, 204 seqq., ubi de mortua Ulixis matre agitur? Deinde v. 788 in memoriam revocat Odyss. XI, 549 (de mortuo Ajace): *τοίην γὰρ κεφαλὴν — γαῖα κατέσχεν* (terra detinuit) et Iliad. III, 243 (de mortuis Tyndaridis): *τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα* (magna deum genetrix). Jam ut concedamus [1]) vv. 792—94 minus recte ad libr. II. translatos esse, tamen jam voces. *simulacrum* (*εἴδωλον*) atque *umbra* (*σκιά*) [2]), monent, mortuæ mentionem

[1]) Quod non necesse est; meminerimus enim, a poeta ultimam manum operi non impositam esse.

[2]) Horat. Od. IV, 7, 16: „pulvis et umbra sumus."

fieri; etiam quod mortuæ imago, ut omnia, quæ rerum naturam excedunt, major visa est, non est, quod de dea cogitemus; imprimis autem adjectivum „infelix“ (e sententia veterum) ad mortem digitum intendit. Fugit hoc Weidnerum et ceteros, qui idem sentiunt; is enim p. 441 ad v. 372 dicit: „Creusa erscheint dem Aeneas verklärt, also göttlich“. Hæc opinio loco quodam Pausaniæ X, 26, 1 provocata esse videtur (Weidn. p. 437), qui re vera nihil aliud tradit, quam quæ Vergilius Creusam dicentem facit (vv. 785 seqq.), se morte liberatam esse, ne Græcis serviret, quod Dardanis et Veneris nurus indigna esset, quæ servitutem subiret. Nam quod Pausanias istam fabulam audiverat, ideo non necesse erat, Vergilium novisse. Quid, quod fieri potest, ut Pausanias rem a Vergilio sumpserit? Quid enim narrat Pausanias? In pictura Polygnoti Creusam se vidisse inter captivas Trojanas pictam; sed matrem deorum et Venerem e servitute Græcorum eam liberavisse tradi (λέγουσιν, nullo subjecto addito). Cybelen Creusam aut comitem aut sacerdotem suam fecisse, mera est fictio interpretum; Pausanias quidem omni culpa vacat.

Horat. carm. I, 12, 26. E. Lembcke nostras, elegans Horatii interpres, in editionibus suis carm. Hor. ad h. l. mentionem injicit, quid sit, quod Castor semper prior, Pollux posterior sit ordine, ut vel nullo nomine allato omnes tamen intelligant, *hunc* Castorem, *illum* Pollucem esse. In priore editione contra mythographos et translaticiam opinionem (quemadmodum C. T. Zumptius, ad Cic. Verrin. I, 129, p. 210) statuit, Castorem filium esse Jovis; in altera contra. Me autem quum plures loci veterum scriptorum et maxime quidem Latinorum in eam suspicionem induxissent, ut principalem et veram hujus rei rationem ab aliquo vel philosopho vel poeta petendam esse putarem, rem accuratius examinare decrevi. Et quamquam

L. Preller (Mythologie der Griechen, II p. 91—108) universam rem accuratissime tractavit, tamen, quum præsertim non idem sibi proposuisset atque ego, breviorem enarrationem non sine fructu futuram et huic rei lucem aliquam allaturam esse sperabam.

Ex Herodoti (II, 43, 50, V, 75) aliorumque testimoniis [1]) fide dignis constat, utrumque fratrem nullo discrimine dignitatis tamquam verum deum Spartæ (præcipue Therapnæ) cultum esse, unde ad ceteras civitates Doricas et latius hic cultus propagatus esse videtur. Iliadis III, 236—44 contra uterque mortalis patre non nominato perhibetur et mortuus heros, nullo ne hic quidem dignitatis discrimine. [2]) Odyss. XI, 298—304 uterque filius Tyndarei appellatur et vivus sub terra detineri dicitur, ut alternis diebus vivat et moriatur divinoque honore a Jove afficiatur ut deus. [3]) Hæc varietas naturæ eorum et inter vitam mortemque (lucem et tenebras) vicissitudo sine dubio effecit, ut narratio illa celeberrima nasceretur, alterum principio mortalem fuisse, alterum immortalem esse, quæ fabula jam in Cypriis carminibus occurrit et a Pindaro Nem. X, 55 seqq. pulcherrime narrata est. Quæ sive religionibus sive poetis [4]) sive philosophis originem debet, eam omnibus doctis placuisse et maxime celebratam esse constat.

---

[1]) Dignus est, qui non negligatur, locus Xenoph. anab. VI, 4 (6), 34: Ὁ Κλέανδρος, ἀλλὰ μὰ τὼ σιώ (ɔ: θεώ), ἔφη.

[2]) Suspicari fortasse licet, ad Ionicum poetam, procul a Sparta viventem, cultus Tyndaridarum divini rumorem nondum pervenisse.

[3]) Hymni Homerici 17 (apud Wolfium 16) et 33 et Tyndaridas et Jovis filios eos appellant, neutri principatum concedentes. Denique Schol. Pind. Nem. X, 150 tradit: Ὁ μὲν Ἡσίοδος ἀμφοτέρους Διὸς εἶναι γενεαλογεῖ.

[4]) Poetæ quidem certe eam tenuerunt; Verg. Æn. VI, 121: „fratrem Pollux alterna morte redemit, itque reditque viam toties."

Itaque si tenemus, quod certissimum esse videtur, antiquissimis temporibus inter fratres illos, sive dii haberentur sive mortales, neque ad dignitatem neque ad honorem discrimen ullum factum esse, veri simile est, ab Homero eum nominum ordinem, qui hexametro unus vel melius certe conveniret, observatum, inde ad alios scriptores propagatum, denique etiam postquam Pollux Jovis filius factus esset, Castor Tyndarei (mortalis), plerumque retentum esse.

Adsunt tamen vestigia quædam, quæ aliam et diversam rationem inter fratres intercessisse indicant atque Castorem præstantiorem habitum esse, velut apud Græcos, quod carmen quoddam vel carminis genus a Castore nomen traxit (cf. Preller, l. l. p. 102 not. 1 et 3); apud Romanos quum uterque verus deus haberetur (Cic. nat. deor. III, 45, Svet. Calig. 22), Castor certe præstantior existimatus est, et prior vel solus nominatus est.[1]) Denique uterque sæpissime communi Castorum nomine comprehenditur. Horatianus autem, quem proposuimus, locus neutrum alteri præfert, nam *hunc* — *illum* nihil aliud est quam alterum — alterum.

Horat. carm. I, 15, 14: „Grataque feminis imbelli cithara carmina divides." Mitscherlich: „*Carmina divides*, numeris suis dimetieris, docte pro canes." Immo perverse; quis enim, nisi tiro et artis musicæ imperitus, ita canat, ut numeros et syllabas dimetiendo efferat? Orellii explicatio artificiosa et perplexa est. Simplicius Duentzer: „modo huic, modo illi canes". Dividere hoc loco simpliciter valet distribuere (dare); cf. carm. I, 36, 6: „Nulli plura

[1]) Cic. Verr. V, 186, de divin. I, 98. Svet. Cæs. 10: „M. Bibulus collega (Cæsaris dixit): evenisse sibi, quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro constituta tantum Castoris vocaretur, ita suam Cæsarisque munificentiam unius Cæsaris dici."

tamen oscula dividit"; Verg. Æn. I, 197: „vina dividit". „Feminis" quum ad „grata", tum ad „dividit" pertinet, quæ conjunctionis forma notissima est (nos pron. dem. „den", „det" — (is) — addimus); cf. Madv. l. l. § 484 a extr.

Horat. carm. I, 32, 13—16. *Cumque* illud a multis atque imprimis a Madvigio (adv. crit. II p. 54) vehementer oppugnatum defendere conabor. Primum non recte comparatur „cumque" cum syllaba finali „pte" (in meopte et suopte), quæ numquam seorsum occurrit. „Cumque" (non modo apud poetas, verum etiam in prosa oratione) ea, quæ dicitur, tmesi a pronomine, quocum conjungi solet, sejungi potest non uno tantum leviore vocabulo (Cic. de orat. III, 60: „quam se cumque in partem dedisset"), sed etiam duobus verbis graviore accentu distinctis (Horat. carm. I, 9, 14: „quem fors dierum cumque"). Qui particula „cumque" a relativo pronomine isto modo sejuncta utitur, is necesse est „cumque" verbum per se constans existimet. Deinde „cumque" (ɔ: quovis tempore) eodem plane modo formatum est atque ubique (quovis loco), undique, utique [1]), cet. In his igitur verbis „que" encliticon vim habet generalis notionis. „Cumque" ergo adverbium est et cum verbo (proximo) „salve" jungendum.

Mihi salve conjunxit Vergilius (Æn. XI, 97: „Salve æternum mihi — æternumque vale"). Sed illud fatendum est, „salve" non magis in nostro loco quam in illo

[1]) *Utique*, quod apud Livium et argenteæ ætatis scriptores sæpissime occurrit, inter aureæ ætatis scriptores apud Varronem et Nepotem reperias et in epistolis Ciceronis ad Atticum (persæpe) et in libris de philosophia; in orationibus ejus et apud Sallustium „utique" significat „et uti"; apud Cæsarem (in libris de b. G. certe) vix inveniri arbitror. Hac re monemur, quam cauti esse debeamus in ejusmodi verbis rejiciendis. Et meminissse oportet verba Horatii ep. II, 3, 55: „ego cur acquirere pauca si possum, invideor"; in hoc versu neque „semper" neque „usque" collocare potuit poeta.

(Vergilii) aliisve locis interpretari licere: „mihi ades", „mihi fave", quæ significatio a sententia hujus loci etiam plane abhorret. Neque enim „barbitos", quem alloquitur, est „Musa lyræ", quam neque „decus Phœbi" neque „testudinem" appellavisset, sed cithara ipsa, quam quasi comitem quandam et in cantando adjutricem, ut secum psalleret (luderet), excitatam, jam cum laudibus („laborum dulce lenimen") dimittit atque „salvere"[1]) jubet „sibi" (e re sua et cum gaudio suo, ut sit dativus et commodi et ethicus). Optat igitur, ut cithara sibi semper salva (ɔ: bene constituta) sit, quum eam rite (ɔ: ipse bene præparatus et a musa instinctus) vocat.

Horat. ep. I, 14, 39 seq. ita interpungi jubet Madvigius adv. crit. II p. 61, ut „cum servis" ad „saxa moventem" referantur, id quod fieri non posse jam ostendit „horum" v. 41, quod ad servos (v. 40) referatur necesse est et aperte de servis urbanis dictum est. Et pondus quidem rerum contrariarum in „urbana" est. Sed primum tenendum est, adjectivum inter duo substantiva sæpe ita positum esse, ut, quum ad utrumque pertineat, cum altero utro grammatice conjungi possit. Horatius igitur et „cum servis urbanis" dicere potuit et, quod metro flagitante scripsit, „urbana diaria". Deinde, id quod gravissimum est, illis

[1]) Similiter *χαῖρε* usurpatum est Od. XIII, 59: *χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, διαμπερές, εἰσόκε γῆρας ἔλθῃ καὶ θάνατος.*

Plaut. Asinar. III, 3, 3: „Salvere me iubes, quoi tu abiens affers morbum", cf. Ussing ad eum locum.

Salvere jubetur et qui advenit et qui discedit. Terent. Andr. IV, 5, 7 (802) Crito: „Salve", inquit; respondet Mysis: „Salvos sis". Ad interpretationem hujus loci aliquid etiam conferre puto, quod scripsit Cic. fam. VII, 25, 1: „Quod epistolam conscissam doles, — salva est". Omnino „salvere" jubentur, quos sanos et validos esse cupimus (est nostrum: „Gud velsigne dig!"). Petron. sat. 98: „Giton ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret; ad quem motum Eumolpus conversus salvere Gitonem jubet."

temporibus condicio villici ea fuit, ut, quamquam ipse erat servus [1]), in locum domini substitutus [2]), ceteris servis rusticis ita imperaret [3]), ut neque ceterorum servorum consvetudine familiari uti ei liceret neque quemquam eorum suæ mensæ adhibere nisi perraro et honoris causa. [4]) Itaque servi rustici cum villico illis temporibus convictum non habebant, et queritur Columella [5]), antiquorum temporum continentiam jam exolevisse, quum villicus in conspectu servorum eodem cibo uteretur.

Quivis igitur Romanus, hunc locum legens, statim intellexit, de urbanis servis mentionem fieri. Omnia verba, quibus in hoc versu usus est Horatius, cum acerba irrisione declarant, quam non decora ac potius inepta desideria villici essent, ut „cum servis" (par cum pari) ederet, quum ruri dominus servorum esset et seorsum ederet; „diaria" usui lignorum et pecoris et horti (alterius *succidiæ*, Cic. Cat. mai. 56 extr.) opponuntur; „rodere" denique murium, caprorum cet., non hominum proprium est.

Terent. Eun. IV, 4, 53 seq. (721 seq.): „Tu, pol,

---

[1]) Colum. I, 7, 6: „sub villicis servis".

[2]) Id. XII præf. extr.: „quoniam et villici quoque successerunt in locum dominorum."

[3]) Id. I, 8, 10: „Id [ut potius timeant villici severitatem quam crudelitatem detestentur] contingere poterit, si maluerit custodire subjectos, ne peccent, quam negligentia sua committere, ut puniat delinquentes." Cf. XI, 1, 3: „Villicum fundo familiæque præponi convenit, — ut doceat subjectos."

[4]) Id. I, 8, 5: „Actori [ɔ: villico] præcipiendum est, ne convictum cum domestico multoque minus cum extero habeat. Nonnumquam tamen eum [servum aliquem], quem assidue sedulum et fortem in operibus administrandis cognoverit, honoris causa mensæ suæ die festo dignetur adhibere." Cfr. XI, 1.

[5]) I, 8, 12: „Jam illa vetera, sed optimi moris, quæ nunc exoleverunt, utinam possint obtineri, ne conservo ministro quoquam nisi in re domini utatur, ne cibum nisi in conspectu familiæ capiat, neve alium, quam qui ceteris præbetur."

si sapis, quod scis, nescis." Madvigius adv. crit. II p. 13: „In svadendo et jubendo necessario scribendum *nesci*. Poterat ferri *nescies*; *nescis* ferri nequit." Ego tamen illud *nescis* et ferri et defendi posse arbitror. Primum ipsa forma „nesci" dubia est. Nam quoniam verbum, quod est „scire", imperativo præsentis temporis caret, non veri simile est „nesci" a Latinis dictum aut formatum esse. Majoris momenti est, quod eadem sententiarum conjunctio alio invenitur Terentii loco, Heaut. IV, 4, 26 (748): „Tu nescis id quod scis, Dromo, si sapies. DROMO: Mutum dices." Ibi si quis „nesci" scriberet, hiatum inferret non ferendum. Aliam corrigendi rationem futurum, quod sequitur, „sapies" commendat, ut „nescies" scribatur, præsertim quum in Bembino codice „id" omittatur, quo omisso ne minima quidem metri difficultas remanet. Sed duos locos prorsus similes corrigere non debemus nisi necessitate coacti; necessitatem autem nullam video. Nam quamvis in svadendo vel jubendo, si consilium aut præceptum simpliciter datur, aut imperativo aut futuro [1]) uti debeamus, non tamen necessario valet hæc regula, si forma utimur condicionali. Indicativo præsentis adhibito per ambages et svadetur (imperatur) et dissvadetur (vetamur) condicionali enuntiatione, velut Terent. Andr. II, 1, 22 (322): „Si id facis, hodie postremum me vides", ɔ: ne id feceris [2]); et primaria sententia, condicione accedente, consilium vel præceptum ita enuntiatur, ut formam induat generalis sententiæ, ex qua,

[1]) v. c. Plaut. mil. II, 6, 88 (571): „Ne tu hercle, si te di ament, lingvam comprimes posthac; etiam illud, quod scies, nesciveris, nec videris, quod videris"; hic præs. indicat. ferri non potuit.

[2]) Etiam interrogando (v. c. „satin sanus es?" „Er du gal?") interdum stultitia ejus, qui aliquid facturus est, quod improbamus, confutatur.

qui compellatur, ipse concludere potest, quid sibi faciendum sit (Hoc, si sapis, non facis, ɔ: ne feceris). [1]) Fit hoc sæpissime in sermone quotidiano et familiari, ubi nutus aut vultus dicentis sententiam sustinet. Utrum in hoc sententiarum nexu præsens an futurum ponatur, nihil referre arbitror. Igitur Latine et „si sapis, hoc facis" et „si sapies, hoc facies" dici potest; Dani hoc modo præsenti tantum utimur tempore. Quumque apud Terentium duo exempla ejus dicendi generis habeamus fide digna, nihil est causæ, cur dubitemus, quin Romani hac forma usi sint. Hic *nescis (nescies)* comica quadam exaggeratione pro *taces* (tacebis, non commemorabis) dictum est. Et Dromo callide intelligens: „mutum dices" respondet.

Terent. Hec. V, 4, 34 (874): „Tamen suspicor. Ego hunc ab orco mortuum — quo pacto?" (Madv. adv. crit. II p. 20). Traditam scripturam, interpunctione paulum mutata, retinendam censeo, quæ Parmenoni totique actioni festiviorem quasi colorem (mea quidem sententia) inducit. Quum Pamphilus, consilio Bacchidis (v. 866 seqq.) obsequens, neget Parmenoni se quidquam dicturum esse (v. 874: „non licet"), Parmeno, quid agat, nesciens, artificium excogitat stultorum hominum, ut se plus scire simulet, quam scit. Itaque arroganter incipit: „Tamen suspicor" [2]) (ɔ: mihi tamen subolet). Tum se jactans, sed quasi secum loquens [3]), sibi et spectantibus in memoriam revocat illa Pamphili verba de se magnifica et simulata (v. 852 seqq.): „Egon, qui ab orco mortuum me

---

[1]) Simplicius: Hoc si facis, non sapis.

[2]) Cf. Andr. I, 5, 14 (249): „nisi si id est, quod suspicor" („aner"). Latine verba transitiva non ita raro sine objecto (id — rem) occurrere, notum est.

[3]) Itaque Donatus recte: „Verba sunt cogitantis. Ideo et ἐλλειπτικῶς loquitur."

reducem feceris, sinam sine munere a me abire?“ et prima verba repetens et quasi ex illis conjecturam faciens (neque enim interrogatio est) dicit: „Ego hunc ab orco mortuum“ („hunc“, non „te“ dicit); quæ verba sufficiunt ad illa Pamphili verba in memoriam revocanda. Sed jam sentit, rem sibi non procedere — rident enim sine dubio Pamphilus et Bacchis — et sermoni finem imponens quasi re desperata interrogat: „quo pacto?“ Tum Pamphilus irridens, „Nescis, Parmeno“ et q. s. Quod responsum quum ultimam spem Parmenonis præciderit, efficit, ut stomachose et impudenter se scire ajat: „Immo vero scio“, id quod Bacchidi occasionem præbet Parmenonis etiam magis irridendi. Tum demum demisso animo confitetur, se nihil scire. [1])

Sallust. Jug. 114, 2: „Illique et inde usque ad nostram memoriam Romani cet.“ Mirum est, neminem adhuc, quod sciam, in simplicissimam incidisse hujus loci interpretationem. Quemadmodum *inde* (usque ad nostram memoriam) tempus hic aperte significat (= ex eo tempore), sic *illi* (= ibi, sed fortius) etiam temporis notione (illis temporibus) positum est, ut conjectura Kritzii „ibique“, ad sententiam vera, facile carere possimus. Constat Sallustium multa ex antiquiore dicendi usu adoptavisse, ad quem *illi* (= illic) pertinet. E fabulis Terentii hos locos collegi, Phorm. I, 2, 41 (91): „dum sedemus illi“; Hec. I, 2, 19 (94): „nam illi (apud militem) haud licebat nisi præfinito loqui, quæ illi (militi) placerent“; ibid. II, 1, 20 (217): „illi, ubi sum“; Adelph. I, 2, 36 (116): „ego illi (in ea re,

---

[1]) V. 33 (873) interpungendum est: „Ere, licetne scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?“ (ɔ: quid sit boni, quod hodie feci). Infra v. 39 seq.: „Equidem plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem umquam.“ Cf. v. 36: „quantum hodie profueris mihi.“

ɔ: si quid peccat) maximam partem feram" (Donat. ad h. l.: „errant, qui putant, *illi* esse pronomen, quum sit adverbium loci"); V, 3, 58 et 60 (844 et 846): „illi (ruri) alligaris filium — atque illi [1]) favillæ plena sit faxo."

Cic. de orat. I, 215: Omnes (G. Sorofii novam editionem non vidi) scripturam codicum *aliquam* admitti non posse consentiunt. Alii conjecerunt scribendum esse *alienam*, quod, quum duæ res inter se opponantur, plane alienum est; alii *illam*, quod jam vulgatur et per se ferri potest, sed a scriptura tradita nimis discedit. Multo propius ad scripturam codicum accedit *alteram*, sed non intelligitur, quomodo verbum et aptissimum et notissimum sic corrumpi potuerit. Non dubito, quin scribendum sit *alteram illam*, unde compendio scribendi inducti scribæ „aliquam" extuderint. Hæc verbosior demonstrandi forma, vel antiqui vel familiaris sermonis propria, etiam invenitur III, 110 et in orat. pro S. Roscio 46 („illum alterum", consveto horum verborum ordine), et apud veteres poetas comicos hæc conjunctio verborum crebra est et apud Sallustium, imitatorem veteris sermonis; in uno proœmio Men. Plaut. ter apparet (vv. 28, 41, 58). cf. Trin. 1067, al.; Terentianos locos hos notavi, Heaut. II, 3, 69 (310), Eun. IV, 4, 26 (693); Phorm. IV, 5, 5 (717): „altera illæc"; V, 8, 23 (916): „ne alteram quidem illam"; Adelph. V, 4, 17 (871); Sallustianos, Jug. 13, 1 (cf. Dietsch et Fibiger ad eum locum); 16, 5; 73, 4. Videor mihi animadvertisse, Ciceronem, quum sermonem tribuit antiquis hominibus, genus dicendi et voces ex antiquitatis usu excerpta adhibere, parum constanter. [2]) Huc et alia referenda videntur et

---

[1]) Fleckeisen *ibi* dedit, et sic jam Donatus.

[2]) Ridicule Læl. 89 Lælium facit dicentem: „quoniam Terentiano verbo libenter utimur", quasi Lælius, æqualis Terentii, illo verbo

forma dicendi insolens, Cat. maj. 6: „quam nobis quoque ingrediendum sit“, et ad hunc usum sine dubio respicit, quum (Læl. 4) dicit: „Itaque ipse mea legens sic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem.“ [1])

Cic. Tusc. I, 101: „Tales innumerabiles nostra civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, quum legiones scribat Cato sæpe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur?“ Nimis nude Cicero, ubi cives suæ civitatis fortitudine egregios Lacedæmoniis opponit, duces, principes, legiones nullo pronomine possessivo addito nominavit. Cod. Paris. ante *Cato* syllabam *vo* habet, quas litteras scriba quum non intelligeret, postea induxit. In illis litteris indicium pronominis possessivi 1. pers. corruptum (*võ* pro nõ, quæ corruptela satis frequens est) latere suspicor; itaque *nostras Cato* scribendum esse arbitror.

Cic. Tusc. III, 55. Ex *haud scio an* (haud scian) factum esse arbitror *haud sciam an*, similiter ac Madvigius adv. crit. II p. 12 ostendit in Terent. Andr. III, 2, 32 (512) ex „faciam (iam)“ factum esse „facio iam“ pro eo, quod orationis forma postulat, „faciam. Iam“. Conjunctivus potentialis præsentis 1. pers. a Cicerone vix usquam usurpatur, præsertim in tam vulgari formula. Recte dicitur „nescias an“, Hor. carm. II, 4, 13 (Madv. Gr. Lat. § 370).

Cic. Tusc. V, 76: *contingant ut*. Delendum est illud *ut* ab exitu *nt* prioris verbi natum. Delevit jam Lambinus, quo deleto sententia optime procedit. Commen-

non et ipse usus sit. Ibi certe Cicero oblitus est, Lælium, non se ipsum loqui.

[1]) Apud Plinium hist. nat. XXIV, 14, 76, 124 non dubito quin restituenda sit vetus scriptura *alter ille*, quam rejecit Detlefsen. Cod. Voss. pr. man. habet: „autem ille“; s. man. „ille autem“; Paris., edd. vett. „alter ille“, quæ vox hic optime convenit, quum „autem“ vix locum habeat.

darunt Lambini conjecturam Orellius et Turicenses. Sunt hæ sordes ejusmodi, quarum ne vestigium quidem retineri oportet. [1])

Tusc. V, 78: „Quum est cujus earum vir mortuus.“ *Cujus*, quod habent codd., ferri non potest. Neque enim de singulis singularum úxorum viris agitur (infra enim Cicero addit: „plures enim singulis solent esse nuptæ“), sed de communi quarundam viro. Herodotus (V, 5), ex quo hæc narratio prope ad verbum expressa esse videtur (sed ordine sententiarum perturbato negligenter et minus perspicue Cicero convertit), scripsit: ἔχει γυναῖκας ἕκαστος πολλάς· ἐπεὰν ὦν τις αὐτῶν ἀποθάνῃ, κρίσις γίνεται μεγάλη τῶν γυναικῶν κ. τ. λ. Scripsit igitur Cicero: *quum est quis earum vir mortuus.* Negligenter etiam, quum recte scripsisset: „quæ est victrix — imponitur“, addidit: „illa victa mæsta discedit“, quasi una esset adversaria (illa).

Livii XXXII, 16, 11: „Oppidani primo haud impigre tuebantur mœnia; dein fessi vulneratique aliquot — ad deditionem inclinarunt.“ § 15: „Dum in spem pacis intenti segnius munia belli obeunt cet.“ *Haud impigre* (ɔ: segniter) sententiæ loci adversatur; apparet, credo, scribendum esse *haud pigre*, quoniam „primo“ et „dein“ inter se opponuntur, denique „segnius“ adjicitur.

Cæs. b. G. VII, 57, 3: *Evocatur* displicet. Evocantur homines foras, ad colloquium, ad causam dicendam, legiones ex hibernis, milites; cf. Cic. pro Dejot. 13: „Venit Dejotarus

---

[1]) Ejusdem modi mendum est illud *di prohibeant ut* (pro *ne*), pro S. Roscio 151, quod miror in editionibus diu patienter toleratum esse. *Ut, ne, vel* non ita raro in codd. commutata sunt. Sall. Jug. 14, 21 uterque cod. Haun. aliique codd. *ut* pro *ne* habent, quod vitium jam pridem sublatum est. Inde tamen factum est, ut, quum vetus esset vitium, *reddat* pro *reddet* omnes credo codd. invaserit, quod non magis ferendum est.

vel rogatus ut amicus, vel arcessitus ut socius, vel evocatus ut is, qui senatui parere didicisset.“ Non evocantur, opinor, homines ad honorem. Suspicor scribendum esse *evectus*; cf. Horat. carm. I, 1, 6, Vell. II, 53, 3; 56, 3; 90, 1: „quem usque in tertium consulatum amicitia principis evexerat“; Curt. IV, 14 (54), 20: „ad summum fastigium evexerant“. Similiter dicitur „ad (in) honorem ascendere“.

Extremo loco rem commemorabo, quam tractavit Madvigius ad Ciceronis de Finibus V, 15, 41, p. 679 seq. ed. alt., perfecti conjunctivum in codicibus interdum vitiose pro indicativo positum. Madvigius p. 681: „Apud Cæsarem“ inquit „expellendus est (vitiosus hic perfecti conjunctivus) b. G. IV, 33 *(quum — insinuaverint)* et VI, 27 *(si — conciderint; quum est animadversum —; quum reclinaverint)*.“ Neque aliter factum est et a me (ed. I. 1844) et a C. E. C. Schneidero (ed. 1840—53) et a C. Nipperdeio (ed. 1847), codd. secutis fere omnes (melioris certe generis).[1]) A me præterea jam ed. I. VI, 19 certissima conjectura, codd. invitis, proposita et defensa est (præf. p. XXVI): *uter eorum vita superavit* (codd. „superarit“ vel „superaverit“), — *ad eum pervenit.* Sed neque Nipperdeius neque Schneiderus, quorum uterque editionem meam cognoverat, gravitatem causæ allatæ intellexisse videntur. Forma igitur enuntiationum ea est, quam Madvigius Gr. Lat. § 335 b not. 1 descripsit. *Uter* hic necessario pronomen est relativum indefinitum (ut apud Livium XXI, 18, 13: „Utrum placet, sumite“, ne plura exempla afferam notissimæ rei). Pronomen interrogativum esse non potest, quoniam enuntiationes interrogativæ ex verbis agendi (faciendi, efficiendi) pendere

---

[1]) Cf. quæ de codicum generibus scripsi præf. ed. I. p. IV—VIII, cum iis, quæ scripsit Madvigius adv. crit. II p. 246, omnino consentientia, quod certe lætor.

non possunt, ut monui supra p. 74 seq. Duobus etiam locis orationis pro S. Roscio simile vitium nondum sublatum est. Alter est § 107: „Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis“ (in fraudem induxit futurum), ubi *accepit* scribendum est; neque enim de re incerta et futura loquitur Cicero, quid futurum sit vel fieri possit, si quis acceperit, sed de eo, qui partem prædæ jam accepit. Itaque interrogat: „Qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit?“ Respondet: „duo Roscii“. Et paulo infra: „Num ergo dubium est, quin ii obtulerint hanc prædam Chrysogono, qui ab eo partem prædæ tulerunt?“ Similiter Terent. Andr. I, 1, 115 (142): „Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit“ (de certo homine, filio, et de re facta), „quid facias illi, qui dederit [1]) damnum aut malum?“ (de homine incerto et de re cogitata). Alter locus est § 116: „Ad cujus igitur fidem confugiet, quum per ejus fidem læditur, cui se commiserit?“ Hic aut *commisit* scribendum est aut *lædetur*. Prius ego verum arbitror. Supra enim dixit: „auxilium sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit.“

[1]) Fleckeisen e conjectura (credo) non probanda *dedit* scripsit; apud Umpfenbachium *dederit* sine annotatione legitur.

IV.

Emendationes Quintilianeas

scripsit

Martinus Clarentius Gertz, Dr. phil.

Quintiliani Inst. Orat. I, 7, 23 Halmius in Addendis hanc codicis A scripturam restituendam esse dixit: „Quid? non Cato Censorius 'dicam' et 'faciam' 'dice' et 'facie' (A tamen 'face' habet) scripsit...?" collatis quattuor Pauli et Festi locis, qui sunt p. 26 M. 'attinge'; p. 72 'dice'; p. 201 'ostende'; p. 286 'recipie'. Sed debuit ex B sic scribere: '*dicae*' *et* '*faciae*', similiterque apud Festum et Paulum '*attingae*', '*dicae*', '*ostendae*', '*recipiae*' scribendum est; ac 'recipiae' quidem in codice Festi est. Quod ut scribendum esse certo adfirmare audeam, facit locus Quintiliani, quem nemo, quod sciam, adhuc expediuit. Nam IX, 4, 39 uulgo sic scribitur: „illa Censori Catonis 'diee hanc' aeque m littera in e mollita", quae scriptura manifestis grauissimisque mendis laborat. Primum enim pluralis numerus in pronomine prauus est, cum unum modo exemplum adferatur; deinde particula „aeque" sensu cassa est, cum de s littera, de qua antea disputatum est,

nihil simile dictum sit. In codd. AG scribitur: „dicae haeque". in primo uerbo satis perspicuis uerae scripturae uestigiis relictis; nam dubitari non potest, quin hoc scriptum fuerit, quo reposito omnes difficultates remouebuntur: „illa Censori Catonis '*dicae*' '*faciae*'*que*, m littera in e mollita". Rectene de his formis Catoniani sermonis Quintilianus iudicarit, alia quaestio est, quam alii melius tractabunt; sed de scribendi ratione res certa est.

Pusilla re duorum optimorum codicum scripturae hoc loco inter se differebant; nam *ac* (ę) et *e* mille locis a librariis permutata esse nemo nescit. Sed non raro maiores discrepantiae inueniuntur eaeque eius generis, ut facile adpareat hos codices duarum inter se diuersarum familiarum esse; quare eiusmodi locis diuersa testimonia scripturae Quintilianeae diligenter inter se examinanda sunt, ubi et hoc accidere poterit, ut ad sensum orationisque formam nihil intersit, utram scripturam praeferas, et hoc, ut altera utra utique praeferenda sit. Hic quamquam Halmius plerumque satis prudenter rem egit, tamen meo quidem iudicio interdum a uero aberrauit. Uelut I, 10. 27 ex A sic scripsit: „Age, non habebit in primis curam uocis orator? quid tam musices proprium?"; in quibus, etsi satis perspicua sententia est, et interrogatio prior offendit, cum id, de quo nunc quaeritur, supra oratori necessarium esse demonstratum sit, et in altera interrogatione particulam „igitur" Quintilianus addere debuit, sicut § 22 simili loco factum est. Nec haec scriptura Halmio ipsi placuit, qui coniecturam proposuit, quae mihi quidem etiam codicis A scriptura deterior esse uidetur. Sed in B pro „Age non" est „Agendus", ex quo sublato errore peruulgato faciendum erat: „*Agedum*, *si* habebit in primis curam uocis orator, quid tam musices proprium?" — IV,

1, 6 uulgo editur, quod in A est: „Beniuolentiam aut a personis ducimus aut a causis accipimus". Sed primum uix intellegi poterit, cur, cum eadem in hac re personarum et causarum ratio sit, duobus uerbis („ducimus ... accipimus") pro uno usus sit Quintilianus, praesertim cum semper breuitati studeat; deinde hoc: „beniuolentiam accipimus" parum recte dicitur, nam dicendum erat: „beniuolentiae nobis conciliandae materiam accipimus". Quare hic quoque B scripturam sine ulla dubitatione praetulerim, praesertim cum illa ex hac facilius oriri errore potuerit quam contra: „Beniuolentiam aut a personis *duci* aut a causis *accepimus*", id est, ab artium scriptoribus traditum est (cfr. II, 4, 2; VI, 2, 8). — IV, 1, 40 ex B Halmius scripsit: „Genera porro causarum plurimi quinque fecerunt, honestum, humile ... obscurum ... Sunt quibus recte uidetur adici turpe". Sed nonne Quintilianus potius aut sic locutus esset: „Sunt qui adiciant turpe" aut sic: „Sunt quibus adiciendum uideatur turpe?" Et quomodo Quintilianus omnino sic loqui potuit, cum ipse, ut sequentia uerba ostendunt, in eorum numero sit, qui sex genera probent? Hic multo rectius est, quod A habet: „Genera porro causarum plurimi quinque fecerunt, honestum ...; quibus (scil. generibus quinque) recte uidetur adici turpe", omisso uerbo *sunt*. Suam ipsius sententiam, non aliorum, Quintilianus hic indicat. — IX, 3, 2 scribitur: „schemata lexeos duorum sunt generum; alterum loquendi rationem uocant, alterum maxime conlocatione(?) exquisitum est". Sed quis umquam schema simpliciter loquendi rationem uocauit? num igitur ea loquendi ratio non est, quae nulla schemata adhibeat? Miror, quod superiores editores ineptissimum uerbum „uocant" tam patienter tulerunt; magis miror, quod Halmius etiam contra codices

retinere uoluit, nam in B quoque, quem hic sequitur, non 'uocant' sed 'uocat' est; sed maxime mirandum est, quod uerissimam codicis A scripturam „*nouat*“ spreuit. Nam nouare orationem, id est, uulgarem loquendi formam arte aliqua mutare et nouitatis gratiam aliquam ei adfundere, proprium schematos est; cfr. IX, 1, 14: „ergo figura sit arte aliqua nouata forma dicendi“; et „nouitatis“ uocabulo saepius in hac rę usus est Quintilianus, uelut IX, 2, 66; 3, 12 et 58.

II, 18, 2, postquam Quintilianus alias artes θεωρητικάς esse dixit, alias πρακτικάς, alias ποιητικάς, haec leguntur: „fere iudicandum est rhetoricen in actu consistere . . . atque ita ab omnibus dictum est. Mihi autem uidetur etiam ex illis ceteris artibus multum adsumere; nam et potest aliquando ipsa res per se inspectione esse contenta“. Sed cum pronomen „ipsa“, si cum substantiuo „res“ coniungitur, male abundet ideoque necessario cum uerbis „per se inspectione“ iungendum sit, et cum ipsum huius sententiae subiectum „res“, pro quo uocabulo etiam „ars“ potius ponendum erat, plane otiosum sit, fere certum est Quintilianum sic scripsisse: „potest aliquando ipsa *rei* per se inspectione esse contenta“, sicut ẹst § 1: „ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta“.

III, 1, 10—11 sic scribendum et interpungendum esse adparet: „Thrasymachus Chalcedonius cum hoc et Prodicus Cius et . . . Alcidamas Elaites, Antiphon quoque, *qui* (om. codd.) et orationem primus omnium scripsit et nihilo minus artem et ipse (sic uere B) composuit . . ., etiam Polycrates . . . et Theodorus Byzantius . . .“; nam ut nunc locus scribitur, nomina Polycratis et Theodori sine praedicato ponuntur, cum de his idem, quod de Antiphonte dictum est, dici non possit. Omnium horum nominum praedicatum

idem est et uerbis initio § 10 positis: „cum hoc“ (scil. fuerunt) continetur.

III, 6, 76, cuius loci uitium Spaldingius sensit et uerborum transpositione sanandum putauit, addito etiam altero loco pronomine, quod hic facile omitti potuit, scribendum est: „At enim simile est illi: ‘habeo ius, non habes’ *hoc*: ‘occidisti, recte occidi’“.

III, 7, 2 scribitur: „editi in competitores, in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri uituperationem continent“. Sed cum hic certa librorum exempla nominentur nec, ut in superioribus factum est, res uniuerse significetur, fieri uix potest, quin nomen scriptoris Quintilianus adiecerit; quare post Curionis nomen uerba „*a Cicerone*“ addenda censeo, idque maxime propter uerba „in competitores“ necessarium esse iudico.

IV, 2, 69 Quintilianus, qui § 66 eorum sententiam improbauit, quibus, si contra nos esset causa, narrandum non esse uidebatur, et § 68 dixit in eo certe genere causarum, in quo non de culpa sed de actione quaereretur, etiam si themata contra nos essent, confiteri et narrare nobis licere, haec adicit: „Uerum in his quoque confessionibus est aliquid, quod de inuidia, quam expositio aduersarii fecit, detrahi possit“. Adparet Quintilianum hoc dicere uoluisse, reum ea ratione narrare et causam exponere posse, ut sua narratione eam inuidiam minuat, quam aduersarii expositio fecerit; sed quomodo haec sententia ex iis uerbis, quae supra scripta sunt, effici possit, non uideo; intellegerem, si „detrahere“ (sine obiecto, ut V, 13, 17) pro „detrahi“ scriberetur. Uerum eiusmodi correctio uiolentior est, aliaque uia eodem facilius peruenire licet; nam pro „quod de“, quod Halmii coniecturae debetur, cum in B solum „quod“ scribatur, in A autem „quod ex“, sed ita, ut praepositio in rasura m. sec. scripta sit, sine dubio

ita scribendum est: „est aliquid, *quo* de inuidia . . . detrahi possit". Eodem corrigendi genere Maduigius locum, qui est IX, 2, 69, emendauit; ego duos hic statim addam. Nam VIII, 2, 12 manifesto adparet scribendum esse: „At obscuritas fit uerbis iam ab usu remotis, ut si commentarios quis pontificum . . . et exoletos scrutatus auctores id ipsum petat ex his, quae inde contraxerit, *quo* (codd. quod) non intelleguntur", id est, id ipsum, quo efficitur, ut non possint intellegi; scilicet eiusmodi praui homines obscurissimis quibusque antiquorum scriptorum uerbis, quae nec ipsi fortasse nec alii intellegebant, libentissime utebantur; cfr. Gellii N. A. I, 10. — XI, 1, 92 scribitur apud Halmium: „Adiciendum etiam breuiter uidetur, quod fit, ut dicendi uirtutes diuersissimae non solum suos amatores habeant sed ab eisdem saepe laudentur". Rectior oratio facta est, quam in aliis editionibus erat; sed molesta circumlocutio per uerba „fit ut" est, quo accedit, quod Quintilianus non tam simpliciter dicere uoluit, hoc fieri, quam indicare, cur fiat; idque ostendit § 93, ubi huius rei causa adfertur. In cod. G pro „fit ut" scribitur „fiat"; ex hoc efficiendum: „*quo fiat, ut* dicendi uirtutes . . . laudentur".

IV, 2, 123 ex B scribitur: „multum confert adiecta ueris credibilis rerum imago", nec per se sane ulla causa esse uidetur, cur haec scriptura in dubium uocetur; nam hanc imaginem tantum fictam esse (cfr. § 124 extr.), non ex uero rerum actu ductam, satis adiectiuo „credibilis" significari uidetur. Nihilo minus dubitandi causa est, cum in cod. A. uocabulum „adiecta" ita scriptum sit, ut literae *ie* correctori debeantur; hoc me mouet, ut certo credam Quintilianum non „adiecta" sed *adficta* scripsisse, quae suspicio eo firmatur, quod VIII, 3, 70 in simili sententia hoc uerbo usus est: „licebit etiam falso adfingere, quidquid fieri solet". — Similiter corrector codicis A alium locum

corrupit, qui est VII, 3, 16, ubi scribitur: „rarissime enim apud eos (i. e. oratores) reperitur illa ... seruitus ad certa se uerba adstringendi, idque faciendum in libris Ciceronis de oratore uetat M. Antonius". Hic miror Halmium insolitam prorsus ac prauam uerbi uetandi constructionem tolerasse; sed facile uitium scripturae remouetur. Nam in A uerbi „uetat" duae litterae, quas mutabo, correctione ortae sunt, certumque est *negat* scribendum esse. — IX, 2, 2 ex B editur: „nam quo modo iudex doceri potest, si desit inlustris explanatio ...?" Offendit hic coniunctiuus, cum paulo post simili loco (§ 3) indicatiuus „adiuuantur" ponatur; sed in A duae postremae litterae uerbi „desit" correctoris sunt, unde concludi debere uidetur, in hoc codice initio *dest* pro „deest" scriptum fuisse.

IV, 5, 24 ex A scribitur: „multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortensius, cuius tamen diuisionem in digitos diductam nonnumquam Cicero leuiter eludit. Nam est suus et in gestu modus et uitanda utique maxime concisa nimium et uelut articulosa partitio". Uerba, quae sunt: „est suus et in gestu modus" ego quidem non intellego; Hortensii gestum respici et immodestum uocari putant; sed si ita est, ualde obscure locutus est Quintilianus dicturumque eum fuisse credo: „nam est et in illo gestu quaedam immodestia", aut certe: „nam est et in illo gestu modus seruandus". Ni fallor, scripsit ficto ex uerbo digerendi, quo alibi in hac re utitur (ut XI, 3, 114), substantiuo: „nam est suus et *digestui* modus". Hoc substantiuo usus est Statius Siluar. III, 3, 87.

V, 10, 125 editur: „hoc exercitatione multa consequendum, ut, quemadmodum illorum artificum, etiamsi alio spectant, manus tamen ipsa consuetudine ad grauis, acutos mediosque horum sonos fertur, sic cet.". Quae scriptura eo laborat, quod pronomen demonstratiuum „ho-

rum" prorsus nihil habet, quo referatur, ut significatio eius obscura sit; nec dubitandum mihi uidetur, quin scriptum fuerit: „mediosque *neruorum* sonos"; cfr. I, 4, 7.

V, 14, 15—16 ea uerba, quibus exemplum epichirematos continetur, in editionibus non recte ab iis distinguuntur, quae Quintilianus ad inlustrandum exemplum de suo addidit; praeterea locus aliquot uerbis omissis corruptus est, sicut iam Burmannus recte intellexerat, cuius inuento paucis mutatis utor. Sic enim scripsit Quintilianus: „Nam quo ingenio est opus, ut dicas: 'Bona ad me pertinent; solus enim sum filius defuncti' (uel 'solus heres', cum iure bonorum possessio intestati secundum *agnationem*, *testati secundum* tabulas detur); 'ad me igitur pertinent'" (codd. „pertinet"). Uerba, quae sunt: „cum iure ... detur", ipsius Quintiliani sunt, non eius, qui bonorum possessionem petit, sicut editores crediderunt; nam is aut nihil eiusmodi, quod rectius erat, aut certe hoc dicere debebat: „et iure ... datur", non „cum iure ... detur". Addidit haec, ut ostenderet adsumptionem duplicem formam hoc loco habere posse, quoniam is, qui bona petit, aut tamquam solus filius secundum agnationem aut tamquam solus heres secundum testamenti tabulas ea petere potest; hinc etiam adparet uerum et necessarium supplementum esse. Epichirematos forma ea est, in qua idem concluditur, quod intenditur (cfr. § 10); intentio et conexio significatur uerbis: „bona ad me pertinent"; adsumptio autem uel ratio his uerbis continetur: „solus enim sum filius defuncti" uel „solus enim sum heres defuncti". Sequentia uerba sic scribenda sunt: „Sed cum ipsa ratio (s. adsumptio) in quaestionem uenit, efficiendum est certum id, quo probaturi sumus, quod incertum est, ut, si ipsa forte intentione dicatur aut 'filius non es' aut 'non es legitimus' aut 'non es solus' itemque aut 'non heres

es' aut 'non iustum testamentum est' aut 'capere non potes' aut 'habes coheredes', efficiendum est iustum, propter quod nobis adiudicari bona debeant". Nam in his statim adparet particulam „aut" non ad aduersarii uerba pertinere; est Quintiliani ipsius, qui sic ostendere uult, quibusnam modis heredis uel filii adsumptio (s. ratio) in quaestionem uenire possit. Intentio hoc loco non est pars prima epichirematos sed ea, cui contraria est depulsio; cfr. III, 6, 13. 17. 19; 9, 1; VI, 4, 2, alibi.

V, 14, 27, ubi scribitur: „Peregisse mihi uideor sacra tradentium artes", nulla efficitur sententia, siue „peregisse sacra" siue „peregisse artes" iungas; optima sententia erit, si sublato uulgari errore scripseris: „peregisse mihi uideor sacra tradentium *partes*". „Sacra tradere" pro eo, quod est: „subtilia praecepta artis rhetoricae tradere", dixit Quintilianus ea uerba respiciens, quibus de hac re usus est supra cap. 13, 60: „legem dicendi quasi quaedam mysteria tradiderunt".

VI, prooem. 10—11 Quintilianus filium mortuum laudat, in quo testatur se „eas uidisse uirtutes *non ingenii modo* (nam sic necessario scribendum est; codd. „ingenii non modo") ad percipiendas disciplinas . . . studiique iam tum non coacti . . ., sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis, ut prosus posset hinc esse tanti fulminis metus"; deinde haec addit: „Sed hae spes adhuc; illa maiora, constantia, grauitas, contra dolores etiam ac metus robur", idque uerbis sequentibus exsequitur. Adparet statim in his uerba, quae sunt „spes" et „maiora", parum recte inter se respondere et contraria poni, etiam si „maiora" idem significare statuimus, quod „adultiora"; et ne hoc quidem satis est, cum Quintilianus has uirtutes iam perfectas apud filium fuisse uelit, sicut sequentia ostendunt. Omnia

recta erunt, si facili correctione scripseris: „illa *matura*, constantia cet.“.

VI, 1, 9 primum scriptura sic facilius emendatur: „reus de indignitate calumniae conspirationis*ue* uehementius interim queritur“; deinde retinenda est codicum scriptura: „haec officia . . ., quae plerumque sunt, ut dixi, prooemio similia sed liberiora plenioraque“. Nam „prooemio“ breuiter dictum est pro eo, quod est „prooemii officiis“, sicut u. c. IX, 1, 18 „uerbis et sententiis“ pro „uerborum sententiarumque figuris“; sed hoc loquendi genus satis notum est.

VI, 1, 13, ubi praecipitur, quo modo accusator causam suam iudicibus commendare debeat, uulgo scribitur: „Metus etiam, si est adhibendus, ut faciat idem, hunc habet locum fortiorem quam in prooemio“. Hic uerba, quae sunt: „ut faciat idem“, ita enarrant, tamquam idem significent, quod haec: „ut conciliet commendetque accusatorem“, nec uideo, quo alio modo enarrari possint; sed tum prorsus putida et superuacanea fit haec sententia (nam quo alio consilio adhiberi hic poterat?) nec breuitate Quintiliani digna. In cod. A non „faciat“ sed „facit“ scribitur, qui indicatiuus ostendere uidetur Quintilianum hic quoque ut in iis, quae praecedunt, exemplum adtulisse; quare fere ausim confirmare scriptum olim fuisse: „metus etiam, si est adhibendus, ut *facit* idem *in eundem* (i. e. Cicero in Uerrem, ut in antecedenti exemplo), hunc habet locum fortiorem quam in prooemio“; et hanc scripturam ualde eo firmari adparet, quod eo loco, ubi Quintilianus eandem rem in exordii praeceptis tractat et quem hic respicit (IV, 1, 20), eodem exemplo adlato scribitur: „metus etiam nonnumquam est . . . adhibendus, ut idem in Uerrem facit“. Illo loco ea significantur, quae leguntur Action.

pr. cap. 15 sqq. (§ 49); hic ea, quae sunt in Act. sec. V § 174 sqq., 183.

VI, 1, 33 editur: „At sordes et squalorem et propinquorum quoque similem habitum scio profuisse et magnum ad salutem momentum preces adtulisse“. Sed cum h. l. de iis tantum agatur, quae faciendo lacrimas mouemus (§ 30), „preces“, quae ad miserationem pertinent, de qua antea dixit (§ 24 extr. § 27), hic parum recte nominantur; praeterea hi aduocati non precantur sed sola praesentia et squalido habitu periclitantem adiuuant. Uidetur igitur pro „preces“ scribendum esse „*reis*“, praesertim cum eiusmodi datiuus desideretur; quo reposito uoce „rei“ carere possumus, quam Brunner post „squalorem“ inseri uoluit probante Halmio. Deinde § 33—34 disputationem institutam paulum turbauit Quintilianus, cum sic pergit: „Quare et obsecratio illa . . . uideri solet, stratum denique iacere et genua complecti“; nam ex his postrema sola ad ea pertinent, quae facimus, ideoque hi infinitiui potius subiecti loco cum uerbis „profuisse . . . adtulisse“ iungendi fuerunt. Ea uero, quae praecedunt, plane alius generis sunt et ad ea pertinent, quae dicimus, ut misericordiam iudicum moueamus; sed cum haec suo loco omisisset Quintilianus (nam § 24 de rei modo pignoribus locutus obiter est), nunc occasione oblata, cum de propinquorum aduocatione eiusque ui loqui coepit, de praetermissis commonefactus hanc sententiam de obsecratione iudicum per pignora et simul illam remotiorem de deorum inuocatione addidit. Ceterum his uerbis mendum inest, quod sic remouendum est: „quare et obsecratio illa . . . utilis erit et deorum etiam inuocatio, *quae* uelut ex bona conscientia profecta uideri solet“; nam hoc dici debet, etiam illam deorum inuocationem „utilem esse“; alioquin, quid illa sententia: „deorum inuocatio uelut ex

bona conscientia profecta uideri solet" h. l. agat, uix quisquam dixerit. Accedit, quod sic demum infinitiui „iacere . . complecti" praedicatum (scil. „utile erit") habent.

VI, 1, 46 dicit Quintilianus non commouere tantum miserationem sed etiam discutere epilogi proprium esse, idque fieri cum oratione continua tum etiam quibusdam urbane dictis. Posterius genus § 47—48 exemplis adlatis tractat, deinde ad alterum genus § 49 transit, cum dicit: „Discutiendae tamen oratione eiusmodi scaenae". Quam peruersa sit h. l. particula „tamen", nemo non uidet, et iam alii de scripturae ueritate dubitauerunt; ego putauerim scriptum fuisse: „Discutiendae *etiam* oratione (scil. continua) eiusmodi scaenae".

VI, 2, 15 Halmius scripsit: „Uerum aliquanto magis propria fuerit uirtus simulationis, satisfaciendi rogandi*ue* εἰρωνεία, quae diuersum ei, quod dicit, intellectum petit". Sed primum adiectiuum „propria" genetiuum requirit, sicut in duabus sententiis, quae praecedunt, dicitur: „sunt ex eadem natura" et: „ex hac forma uenit"; deinde gerundia uel ideo, quod Latina uerba sunt, potius ad „simulationis" uocabulum quam ad „εἰρωνεία" referenda esse uidentur; deinde „simulationis uirtus" uniuerse appellata parum recte uerbis „satisfaciendi rogandiue εἰρωνεία" definitur, quae unum tantum genus simulationis significant; necessario genus hoc statim significandum est gerundiis ad simulationis nomen relatis, atque ita rectius εἰρωνεία additur, quamuis haec quoque uniuersa sit appellatio, quae melius abesset et facile a lectore aliquo addi potuit. In cod. A est: „propria fuit uirtutis simulationi satisfaciendi", in quibus „fuit" ex *hui'*, id est *huius*, ortum esse crediderim, ideoque sic Quintilianum scripsisse suspicor: „Uerum aliquanto magis propria (scil. est) *huius uirtutis simulatio* satisfaciendi rogandiue, εἰρωνεία, quae . . . petit".

„Huius uirtutis“ est τοῦ ἤθους, quae uirtus uocatur, ut infra § 24 dinosis et cap. 3, 1 et 104 urbanitas.

VI, 2, 16 sic scribendum et interpungendum esse certum est: „Hinc etiam ille maior ad concitandum odium nasci adfectus solet, cum hoc ipso, quod nos aduersariis summittimus, intellegitur tacita inpotentiae exprobratio; namque eos grauis et intolerabilis id ipsum demonstrat, quod cedimus. *Sed* (codd. „et“) ignorant cupidi male dicendi aut adfectatores libertatis, plus inuidiam quam conuicium posse“ (ideoque scilicet potius ad conuicium confugiunt, ἦθος illud spernunt).

VI, 3, 45—46 sic scribendum et interpungendum esse credo: „Sed acutior est illa . . . in urbanitate breuitas, cuius quidem duplex forma est dicendi ac respondendi, sed ratio communis in *parte* (i. e. ex parte, non omnino, cfr. Bonnelli Lex. Quint. p. 626; sic scribendum esse clare ostendunt sequentia, ubi discrimina indicantur, et olim sic edebatur). Nihil enim, quod in lacessendo dici potest, non etiam in repercutiendo, at quaedam propria sunt respondentium; illa (scil. quae ad dicendi uel lacessendi formam pertinent) etiam *meditati atque commentati* (codd. „itaque concitati“) adferre solent, haec (scil. quae in respondendo uel repercutiendo dicuntur) plerumque in altercatione aut in rogandis testibus reperiuntur“. In „concitati“ fere certum est „commentati“ latere; nec intellego, quo modo Halmius hoc participium ex dittographia oriri potuisse putauerit; „meditati“, quod similiter cum „commentati“ Cicero Philipp. III § 36 coniungit, potius inter „etiam“ et „itaque“ excidisse putauerim quam in litteris „etiam ita“ latere; nam particula „etiam“ uix abesse potest, cum adpareat Quintilianum duplici ratione has duas urbanitatis formas inter se differre dicere. Sed tamen haec pars coniecturae incerta est nec alio nisi sententia commendatur.

VI, 3, 52 de Regii coniectura Halmius scripsit: „In metalepsin quoque cadit eadem ratio dictorum, ut Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem heminaria esse dixit; nam congiarium commune liberalitatis atque mensurae, a mensura ducta inminutio est rerum. Haec tam frigida quam est nominum fictio adiectis, detractis, mutatis litteris". Sed in hac scriptura uox „rerum" mendi manifestum est; nam certe singularis numerus ponendus erat, et Quintilianus, si genetiuum addidisset, sine dubio „etiam liberalitatis" uel certe „munerum" dixisset. Accedit, quod desideratur particula, quae transitum ad sequentem sententiam significet. Quare, cum in cod. A prima manu scriptum fuerit: „a mensura ducta inminuti merum", non dubitauerim, quin scribendum sit: „nam congiarium commune liberalitatis atque mensurae, a mensura ducta inminutio. *Uerum* haec tam frigida cet.". Uerbum substantiuum Quintilianus, ut solet, omisit. Ceterum, cur hoc Fabii dictum frigidum dicat Quintilianus, non uideo; sed fortasse ideo factum est, quod hunc tropum plane damnat (VIII, 6, 37 sqq.).

VI, 3, 64 editur: „tertium adhuc illud, si quidem, ut ne auctorem ponam, uerecundia ipsius facit", quod in uno cod. det. Halmius inuenit. Nouus plane particularum „si quidem" usus et cuius apud Quintilianum quidem nullum aliud exemplum inueniri puto, ut eodem sensu quo interdum „nam" ponantur, hic mihi fingi uidetur; et in codd. AG scribitur: „si quod". Credo Quintilianum scripsisse: „tertium adhuc illud *st*, quod ut *sine auctore* (aut: *st*, *cuius* ne auctorem) ponam, uerecundia ipsius facit".

VI, 5, 4 rectius sic interpungetur oratio: „Sed ne de hoc quidem praecepta in uniuersum expectanda sunt; nam ex re sumitur. Cuius locus ante actionem est frequenter: nam Cicero . . . incidere; et in ipsis actionibus cet.". —

§ 7 correctio, quae in cod. A facta est, necessario recipienda est, ut scribatur: „*monstrauit*“ pro „monstrat“; nam et praecedit „suaderet“ et sequitur „maluit“.

VII, 1, 9, modo recte interpungatur oratio unumque uerbum addatur, quod etiam in uulgari scriptura desideratur et facile excidere potuit, omnia recte habebunt, et uiolentis correctionibus abstinere poterimus; nam sic scripserat Quintilianus: „Si explorandum est, ubi controuersia incipiat, et considerari debet, quae primam (uel: *prima*) quaestionem facit, intentio (scil. et diuersa eius forma ob oculos ponenda est). *Est* simplex cet.“.

VII, 1, 11 scribitur: „At pro reo plerumque grauissimum quidque primum mouendum est“. Haec scriptura uera esset aut certe defendi poterat, ut fecit Spaldingius, si grauissimum illud, quod uocatur, defensionis instrumentum esset; sed cum ea, quae sequuntur, clare ostendant grauissimum crimen significari, uix dubitauerim, quin scribendum sit: „*amoliendum* est“; cfr. § 33.

VII, 1, 22 scribendum est: „Haec iuris quaestionum differentia est; in *facti* (scil. quaestionibus; cfr. § 18; codd. „factis“) autem ad idem tendentia sunt plura“. Cfr. Maduigii Aduers. II p. 536.

VII, 1, 25 ad uerae scripturae uestigia, quae in codd. AG seruata sunt, propius accedemus sic scribendo: „Non oportet igitur offerentibus se contentum esse *sed* quaerere *aliquid* ultra (cfr. § 59): ‘*sed* ne uiduam quidem’; adhuc plus: ‘*sed* nihil ex priuato’; ultimum retrorsum, quod idem a capite primum: ‘*sed* nihil inicum’“. Eodem plane modo in simili enumeratione particula „sed“ ponitur IV, 4, 6, ubi Halmius postremo loco ex A recipere debuit: „*sed* nec ipsi debui“.

VII, 1, 28: „Non dissimile huic est et illud praeceptum, ut a communibus ad propria ueniamus; fere enim

communia generalia sunt. Commune est: 'tyrannum occidit'; proprium: '*patrem* tyrannum occidit, mulier occidit, uxor occidit'". Sic Halmius scripsit; sed cum necessario hoc loco ut in eo themate, quod § 24 tractatur, de uno eodemque tyrannicidio quaeratur, aperte falsa est haec scriptura; nam duo membra, quae sunt „patrem tyrannum occidit" et „uxor occidit" inter se pugnant. Cod. G et A m. sec. (nam in primae manus scriptura haec omissa sunt) „tamen", non „patrem", scriptum habent, ex quo sine dubio faciendum est: „*talem* (id est, tam crudelem, tam potentem, uel aliud huius generis) tyrannum occidit", sicut § 24 haec quaestio proponitur: „an laturi sint Romani talem regem?".

VII, 1, 41 sine dubio scripsit Quintilianus: „unam de schola controuersiam, non ita sane *difficilem* (A difficillimam) aut nouam, proponam in exemplum". Superlatiuus, quem et particula „ita" et sequens positiuus mendi conuincunt, sine dubio ex „difficilem aut" conflatis ortus est.

VII, 1, 59, postquam Quintilianus in tractatione eius controuersiae, cuius thema § 42 proposuit, eas quaestiones enumerauit, quae ex rustici et patris personis duci possunt, et ex aduersarii persona nullam oriri posse dixit, nondum tamen curam deficere uult sed aliquid ultra spectari; nec ad proximum decurrendum esse censet, scilicet a rustico patrem esse restitutum, sed generalem quaestionem inducendam. Quomodo hoc fieri possit, ostendit iis, quae § 60 dicit: „Fingamus ergo ab alio restitutum: ratiocinatiua seu collectiua quaestio orietur, an restitutio pro sublatione iudicii sit ...? ubi temptabit rusticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuisse *se* suorum restitutionem uno praemio nisi patre proinde, ac si accusatus non esset, reuocato ...; tum uenimus ad id, quod primum occurrebat, a rustico esse restitutum patrem". Cum ergo prior

quaestio generalis sit, in qua fingitur patrem ab alio quolibet restitutum esse, facile adparet pronomen „se“, quod Halmius addidit, alii editores intellegendum esse dixerunt, prauum esse; nam hoc pronomine necessario rusticus significatur, sed de rustico in generali illa quaestione prorsus non agitur. Scribendum igitur sine dubio est: „ne *impetrari* quidem (scil. ab ullo alio restitutore) aliter potuisse suorum restitutionem“.

VII, 1, 62 necessario sic scribendum et interpungendum est: „Reliqua iam aequitatis, utrius iustius sit desiderium; id ipsum adhuc diuiditur: ‘etiam si uterque totum sibi uindicaret’ (scil.: rustici desiderium iustius esset), *et*: ‘nunc utique, cum alter semissem, alter uniuersa fratre excluso’ (scil.: sibi uindicet, prioris desiderium iustius est)“.

VII, 2, 33: „Si nihil obicietur . . ., accusator . . . ad praesentem quaestionem, de qua sola iudicium sit, cognitionem alligabit dicens, neminem non aliquando coepisse peccare nec pro encenia ducendum scelus primum“. Pro corrupto uerbo „encenia“ (i. e. encaenia, ἐγκαίνια) Gesner „encomio“ coniecit, quod Halmius merito spreuit; neque omnino ueri simile est, Quintilianum hic Graeco uocabulo usum esse. Mihi quidem nihil aliud latere uidetur quam „*innocentia*“; nam patronus ex eo, quod hoc scelus primum reus commisisse dicitur, cum uita eius ante acta innocens sit, argumentum eius innocentiae ducit, quod accusator faciendum esse negat.

VII, 2, 34: „satius est omni se ante actae uitae abstinere conuicio quam leuibus ac friuolis aut manifesto falsis reum incessere, quia fides ceteris detrahitur; et . . . qui uana congerit, confitetur uanum in ante actis argumentum, in quibus uinci quam tacere maluerit“. Sic codd. manifesto uitiose. Pro „uanum“ Halmius ex Spaldingii

coniectura „unum“ scripsit, quod ualde languidum est; sine dubio scripserat Quintilianus „*ualidum*“. Scilicet eo, quod accusator etiam uanis criminibus uitam rei ante actam infamare studet, ostendit, quam ualidum sit illud argumentum, quod inde ad innocentiam aut nocentiam rei probandam trahitur, quantamque ipse illi uim tribuat; sequitur ergo, ut, cum patronus haec falsa crimina redarguerit ostenderitque, reum ante hoc tempus innocentissime uixisse, et ipse confiteri cogatur magnum hoc esse argumentum rei innocentiae, quemadmodum patronus esse uult.

VII, 2, 35 scripsit Halmius: „Proxima est ex causis probatio, in quibus haec maxime spectantur: ira, odium, metus, cupiditas, spes . . .; quorum si quid in reum conueniet, accusatoris est efficere, ut ad quidquid faciendum causae ualere uideantur, easque, quas in argumentum sumet, augere“. Sed uerissime Bonnellus praef. Lex. Quint. p. XXXIII hanc scripturam impugnauit, in qua pronominis relatiui usus plane peruertitur, cum „quidquid“ pro „quiduis“ positum accipiatur. Ipse abiecta particula „ut“ cetera retinuit dixitque sententiam relatiuam obiecti loco ad infinitiuum „efficere“ referendam esse, quod uerbum ita enarrat, tamquam significet „dicendo expromere“, adlato loco ex Cic. de orat. I § 120, quem plane non intellexisse eum adparet. Sed etiam si haec enarratio ferri posset, quod non potest, tamen aliae scripturae difficultates manerent; nam primum „causae“ infinite dictum offendit, nec multo melior res fieret, si pronomen „hae“ adderetur, quoniam accusator non hoc exponere debet, quid omnes illae causae ualeant, sed tantum, quid ea aut eae efficere possint, quas in reo fuisse dicit; deinde in iis, quae sequuntur: „easque, quas in argumentum sumet, augere“, ubi ea sententia relatiua ponitur, quae in antecedentibus desiderabatur, obscurius, quam debebat et

solet, locutus est Quintilianus, si „causas augere“ pro eo dixit, quod est: „maiores eas in reo fuisse dicere, quam re uera fuerunt“; certe, si nihil aliud, „apud reum augere“ dicere debuit. In cod. A fuisse uidetur: „accusatoris est effice ad quidquid cet.“; G idem habet, nisi quod in eo „efficere“ scriptum est. Scribendum esse certo credo: „accusatoris est *officii*, ad quidquid faciendum causae ualere uideantur *eae*, quas in argumentum sumet, augere“. Obiectum uerbi „augere“ pronomen demonstratiuum est, ad quod sententia relatiua referri debebat. Accusator illud augere debet et in maius extollere, quidquid est, ad quod faciendum eae causae ualere uideantur, quas in argumentum sumet et apud reum fuisse dicet, ut credi possit, si homines his causis impulsos etiam maiora facinora committere potuerint, reum quoque id, quod ei obicitur, committere potuisse.

VII, 2, 46: „Quaestio ‘an fecerit’ incipit a secundo tempore, id est praesenti, deinde coniuncto, quorum sunt sonus, clamor, gemitus“. Peruersa h. l. est particula „deinde“, cum id tempus, quod coniunctum uocatur, a praesenti diuersum non sit, immo proprie praesens uocari possit. Uiam scripturae emendandae locus ostendit, qui est V, 10, 46: „Secundum tempus (id est praesens vel instans § 42) subtilius quidam, quam necesse erat, diuiserunt, ut esset iuncti ‘sonus auditus est’, adhaerentis ‘clamor sublatus est’“. Inde h. l. scribendum credo: „incipit a secundo tempore, id est praesenti, *adhaerenti et* coniuncto, quorum sunt sonus, clamor, gemitus“. Et in A est: „praesenti ac deinde coniuncto“ (quamquam „ac“ m. 2 in ras. scribitur); in G: „praesentiā deinde coniuncto“; error inde ortus esse uidetur, quod scriptum fuit: „aderenti“. Quod uerba: „sonus, clamor, gemitus“ non eodem ordine proferuntur, quo illo loco, non magni momenti est, quoniam

in eiusmodi rebus saepius Quintilianus parum accurate rem agit; praeterea illo loco duo praesentis genera accurate diuidenda erant, hoc loco coniunguntur. Nam quod illic „iunctum“ dicit, hic „coniunctum“, ea nulla differentia est; cfr. V, 10, 45; 94; 102.

VII, 2, 48 Quintilianus exemplo probare uult, dubia uerba nostra saepe nocere nobis posse, et exemplum ex hac controuersia ponit. „Interrogatus filius, ubi esset pater, dixit: ‘ubicumque est, uiuit’; at ille in puteo mortuus est inuentus“. Quid in hoc filii responso ambiguitatis sit, aut quodnam argumentum ex eo contra filium parricidii reum duci possit, non uideo. Dicunt enarratores ambiguitatem in eo sitam esse, quod filius se „uiuit“ dixisse contendat, accusator autem „bibit“ illum dixisse adfirmet; sed hanc differentiam litteris signare Quintilianus non potuit, ideoque aut eiusmodi exemplum omnino aptum non erat, quod adferretur, aut certe eam enarrationem ipse Quintilianus addidisset, quod nostri temporis enarratores addiderunt; praeterea haec filii defensio tam inepta est, cum stultissimum sic fiat responsum, ut, si ea uti uellet, paene eo ipso se nocentem fateretur. Certum est scribendum esse correcto mendo uulgari: „ubicumque est, *bibit*“. Sic filius dicere potest se hoc significare uoluisse, patrem uinolentum certe aliquo loco potare; accusator autem responsum eo trahet, ut dicat, filium eum in puteo esse sciuisse et ueri simile esse, ipsum patrem eo deiecisse. — Etiam § 49 scripturam mendosam esse puto et sic emendandam: „interrogatus, cuius ueneno moreretur, respondit: ‘non expedit tibi *sciri*’ (codd.: scire)“; nam sic demum ambiguitas oritur, quae reo nocere poterit. Quippe, si is, cui hoc dictum est, ueneficii reus factus erit, accusator dicet mortuum hoc responso significasse, se reum ueneficii auctorem esse putare, sed id occultare

uoluisse, ne reo, quem nihilo minus amaret, noceret; reus uero responsum ita accipiendum esse negabit: mortuum hoc significare uoluisse, ueneficii auctorem esse aliquem hominem potentem, quem reus non modo non ulcisci posset, sed qui etiam et reum et omnes, quibus narratum eius uenificium esset, interficere conaturus esset.

VII, 2, 55: „neque haec nego esse dicenda . . .; nam et in foro aliqua, quando aduersarius probare non poterit, desiderabo“. Nimis infinitum est, quod dicitur „aliqua“, et obiectum uerbi „probare“ desideratur. In codd. pro „aliqua quando“ scribitur „aliquando“, unde faciendum esse credo: „nam et in foro *illa*, quando aduersarius probare non poterit, desiderabo“.

VII, 2, 57 lacunam sic potius explendam esse arbitror: „Ordo quoque rerum aut adfert aut detrahit fidem; multo scilicet magis res *probantur aut improbantur*, prout congruunt aut repugnant“. Nam ordinis boni aut mali natura in eo sita est, ut res ita ponantur, ut aut congruant inter se aut repugnent; sed eius rei ea uis est, ut aut probabiles aut improbabiles fiant, id est, ut aut iis adferatur fides aut detrahatur.

VII, 3, 1 scribendum esse: „non est hoc *infitiatio*, non est hoc adulterium“ dixi Stud. crit. ad Senecae dial. p. 91 n. Sed ut hic omnibus tribus, quae proposita sunt, finitio redditur, sic infra quoque § 2, ubi „a qualitate ad finitionem *disceditur*“ (nam sic scribendum uidetur, non „descenditur“, et haec uerba saepe inter se permutantur, uelut in edit. Halmii II p. 101, 24; 355, 1), idem fieri debebat; ac miror, quod Halmius Regii coniecturam ne dignam quidem iudicauit, quam commemoraret: „Non est *hoc dementem esse*, male tractare, rem publicam laedere“. De uerbis dubitari potest, de sententia certa res est.

VII, 4, 4: „Defensio longe potentissima est, qua ipsum factum, quod obicitur, dicimus honestum esse . . .. Hanc partem uocant Hermagorei κατ' ἀντίληψιν, ad intellectum id nomen referentes; Latine ad uerbum translatam non inuenio, absoluta appellatur. Sed hic de re sola quaestio, iusta sit ea necne". Postrema sententia cum praecedentibus non cohaeret, et particula „sed" plane aliena ab hoc loco est. In cod. A scribitur: „sed enim de re sola quaestio"; in G pro „enim" est compendium simillimum H litterae, quod et ipsum „enim" significat (cfr. Wattenbach, Lat. Palaeograph. p. 24); „hic" Spaldingio debetur. Facili correctione scribendum est: „absoluta appellatur: *est enim* de re sola quaestio". Scilicet ideo, quod de re sola quaestio est nec adsumptis extrinsecus auxiliis factum tuemur, quod alterum defensionis genus est (§ 7), haec defensio absoluta recte uocatur. Quod ad illa uerba adtinet: „ad intellectum id nomen referentes", quae editoribus magnas molestias creauerunt, re uera haec scripsisse Quintilianus mihi uidetur; scilicet Graecum uocabulum ἀντίληψις et „uituperationem" et „intellectum" significare potest, et cum priore significatione in hac re accipere deberet Quintilianus (cfr. Hermogenis uerba apud Spengelium in Rhetor. Graec. II p. 139. 20), posteriorem male secutus est et id hic agi putauit, uter litigantium eius rei, de qua quaereretur, uim et naturam melius perspectam et intellectam haberet, cum alter eam criminis loco, laudis alter poneret.

VII, 4, 18 necessario codicis A scriptura retinenda est: „in qua (i. e. deprecatione) plurimum ualent (α) ex ipso, qui reus est, haec tria: (1) uita praecedens, si innocens, si bene meritus; (2) spes in futurum innocenter . . . futuri; (3) praeterea, si . . . uideatur satis poenarum dedisse; (β) extra nobilitas, dignitas (cfr. III, 7, 13), pro-

pinqui, amici". Paulo ante, ni fallor, scribendum est: „ubicumque *sui* (codd. „si", quod uulgo omittitur) iuris clementia est" nec legis uinculis impeditur, quominus, quidquid uelit, faciat. De hoc loquendi genere cfr. Senec. de breuit. uitae 5, 3; de benef. III, 20, 1.

VII, 4, 19 editur: „in eo tamen, qui cognoscit, plurimum ponendum, si laus eum misericordis potius quam reprensio dissoluti consecutura est". Nonnihil offendor particula „si" pro „nam" aut „si quidem" posita, et in codd. AG prô „eum" est „enim"; quare scribendum arbitror: „in eo . . . plurimum ponendum *st;* laus *enim* misericordis . . . consecutura est" (intransitiue hoc positum esse credo). Paulo post aut lacuna signanda est aut uox „diuisio" corrigenda, cum uerba Quintiliani nullam diuisionis speciem praebeant; sed utrum scribendum sit „*defensio*" an scriptura sic explenda: „nam et diuisio frequens est: '*non fecisse et*, etiamsi fecisset, ignoscendum fuisse'", diiudicare non possum, quamquam posterius praetulerim; cfr. cap. 2, 12.

VII, 5, 5, ut uerba recte inter se respondeant, una uoce addita, quae h. l. facile praetermitti potuit, scribendum est: „Porro lex omnis aut tribuit aut adimit, aut *honorat aut* punit, aut iubet aut uetat aut permittit"; cfr. cap. 7, 7, qui locus correctionis ueritatem ostendit.

VII, 6, 2—3 necessario omissa particula „aut" inter litteras *a* et *ut* errore orta scribendum est: „genus unum est, in quo et de scripto et de uoluntate quaeritur. Id tum accidit, (1) cum est in lege aliqua obscuritas; in ea uterque (codd. in ea aut uterque) suam interpretationem confirmat . . . defenditur; aut (2) cum de altero intellectu certum est, de altero dubium". Particulam „aut", quam deleui, Spaldingius et, ut uidetur, Halmius quoque illi „aut" respondere crediderunt, quod initio § 3 ponitur:

„aut cum de altero cet.“; sed hoc „aut cum“ respondere adparet illi „cum“, quod initio § 2 legitur.

VII, 6, 3 sine dubio scribendum est: „an eadem huius causa sit, dubium est, qui ex hac natus est, *etiamsi* (om. codd.) et haec meretrix est“. Regii coniectura, quam Halmius recepit, et uiolentissima est et superuacaneam efficit sententiam; nam quod illa sententia „antequam meretrix esset“ significatur, pronomine „hac“, quod antecedit, iam satis significatum est, cum „hac“ ostendat eam, cuius condicio in themate indicata est. „Etiamsi“ pro „quamquam“ (nam „etsi“ Quintilianus non uti uidetur) est IV, 1, 22; V, 10, 8; IX, 4, 45; XI, 3, 172.

VII, 9, 7, postquam dixit Quintilianus amphibolian aut uocibus singulis accidere posse aut coniunctis (§ 1) et de priore genere disputauit (§§ 2—6), haec legimus: „In coniunctis plus ambiguitatis est. Fit autem . . . per conlocationem, ubi dubium est, quid quo referri oporteat, ac frequentissime, cum quidem medium est, cum utrimque possit trahi, ut de Troilo Uergilius 'lora tenens tamen'. Hic, utrum teneat tamen lora an, quamuis teneat, tamen trahatur, quaeri potest“. Ut hic Uergilii locus adfertur, parum adparet, quomodo illa disputatio, quae proponitur, ex eo oriri potuerit; ac necesse est, Quintilianum sic scripsisse putemus: „lora tenens tamen *hic trahitur*“; nam sic demum ambiguitas cernitur in eo sita, quod particula „tamen“ utrum cum „tenens“ an cum „trahitur“ iungi debeat dubium esse potest. Sane apud Uergilium (Aeneid. I, 477) non sic scribitur, eaque fortasse causa fuit, cur aliquis lector uerba „hic trahitur“ tolleret. quo facto exemplum plane corruptum est; sed Quintilianus hic ut infra § 10 et aliis locis Uergilii aliorumque uerba ex memoria adtulit et rem tenens in uerbis errauit. In iis, quae praecedunt, cum in cod. A post

„medium est“ tres litterae erasae esse dicantur, uix dubitauerim, quin scriptum fuerit: „ac frequentissime *quidem, cum* medium est *quid*, cum utrimque possit trahi“.

VII, 9, 12 in codd. AG scribitur: „pluribus uerbis emendandum, ubi est (A „ubi et“ m. 2 in ras.) id, quod quo referatur dubium est, et ipse est ambiguum: ‘heres meus dare illi damnas esto omnia sua’“. Ex his sine dubio faciendum est: „ubi *et* (i. e. etiam) id, quod quo referatur dubium est, *eo ipso* est ambiguum“, quod et ad scripturae uestigia propius accedit et per se rectius est, quam quod Halmius scripsit. Exemplum, quod adfertur, satis rem declarat; nam pronomen „sua“ utrum ad „heres“ an ad „illi“ referendum sit, dubium est; sed eo ipso res quoque, quam heres illi dare debet, incerta fit, nec adparet, utrum pronomine „sua“ heredis bona an illius bona significentur. In illo exemplo, quod § 9 adfertur, ambiguitas facile solui potest addita una uoce, ut fiat: „quod elegerit ipse“ uel „ipsa“; sed in hoc pluribus uerbis soluenda est, uelut hoc modo: „heres meus dare illi damnas esto omnia, quae illius sunt“.

VIII prooem. 8 scribendum esse: „his adiciebamus, demonstratiuam laude ac uituperatione constare; in ea, quae ab ipso, de quo diceremus, quae *ante*, *quae* post eum acta essent, intuendum“ ostendit locus, qui est III, 7, 10—22.

VIII, 3, 4 scribitur: „atque ego illos credo . . . uelut mente captos et, quo essent in loco, ignaros erupisse in hunc uoluptatis adfectum“. Sed credo Quintilianum, si praepositionem addidisset, dicturum fuisse: „erupisse in hanc uoluptatis significationem“, id quod certe rectius esset; itaque nescio, an praepositione sublata scribendum sit: „erupisse hunc uoluptatis adfectum“, sicut alii „erumpere gaudium, iram, stomachum“ dixerunt.

VIII, 3, 11 Halmius scripsit: „hic ipse honestus ornatus materiae genere esse debebit (uulgo: debet) uariatus". Sed primum haec correctio uiolentissima est, deinde pro „esse uariatus" potius „uariari" scribendum erat. In codd. AG pro „esse debebit" scribitur una uox „decidit", ex qua sine dubio faciendum est: „materiae genere *decebit* uariatus", i. e. ita decebit, si pro materiae genere uariatus erit.

VIII, 3, 25 in corrupto „m u s" potius „*m u s s a t*" quam „m o e r u s" latere putauerim. Paulo post fortasse scribendum est: „satis est uetus q u a e s o: quid necesse est *q u a i s o* dicere?" Neque enim a ueri similitudine abhorret, antiquitatis istos adfectatores hanc antiquissimam scribendi rationem reducere conatos esse; et in codd. est „quaeso", a quo „quaiso" propius abest quam aut „quaerito" aut „quaesito". Certius est Quintilianum deinde scripsisse: „o p p i d o *quamquam* (AG: „quam"; Halmius: „quidem") usi sunt paulum tempore nostro superiores".

VIII, 3, 42 in codd. est: „probabile autem Cicero id genus dicit, quod non nimis est dictum (uel: dicunt)"; pro postremo uerbo Halmius ex Cicerone audacius „comptum" edidit. Uidetur fuisse „*fictum*"; cfr. VIII prooem. 23 et Freundii lex. s. u. „fingere" B 2.

VIII, 3, 45 scribitur: „siue (sermo) iunctura deformiter sonat, ut si 'c u m h o m i n i b u s n o t i s' loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum 'h o m i n i b u s' medium sit (malim: *est*), in praefanda uidemur incidere, quia ultima prioris syllabae littera, quae exprimi nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit aut continuata cum insequente in naturam eius corrumpitur". Cum Quintilianus in priore membro addita uoce „indecentissime" significarit, quo nomine sermo, si 'n o t i s' medium fieret, uituperandus esset, idem in posteriore quoque facere debuit; nam idem aduerbium hic audiri posse uix

credo, quoniam posterius priore etiam indecentius fit. Iam cum apud Ciceronem in Orat. § 154 scribatur: „'cum nobis' non dicitur sed 'nobiscum', quia, si ita diceretur, obscenius concurrerent litterae“ (cunnobis enim audiebatur), uix dubito, quin apud Quintilianum scribendum sit: „in naturam eius *obscenius* corrumpitur“.

VIII, 6, 24, ubi Quintilianus de metonymia disputat, haec leguntur: „refert autem, in quantum hic tropus oratorem sequatur; nam ut 'Uulcanum' pro igne uulgo audimus (codd.: uolgo audiuimus) et 'uario Marte pugnatum' eruditus est sermo et 'Uenerem' quam coitum dixisse magis decet, ita 'Liberum' et 'Cererem' pro uino et pane licentius, quam ut fori seueritas ferat“. Sed persuadere mihi non possum, ut credam Quintilianum 'Uulcanum' pro igne uulgo dictum esse dixisse, nec minus licenter profecto hoc fieret, quam si 'Liber' pro uino diceretur; praeterea, si lexicis credimus, illius metonymiae exemplum nullum apud prosae orationis scriptores reperitur, quo minus credibile fit, ad uulgi etiam sermonem hoc genus pertinuisse. Sic etiam Heindorfius iudicasse uidetur, qui negationem ante „uulgo“ inseri uoluit; sed ueri similius mihi uidetur hoc aduerbium ex primis litteris nominis Uulcani male iteratis natum esse, ut illo omisso, retento autem perfecto tempore scribendum sit: „nam ut 'Uulcanum' pro igne audiuimus“. Hoc modo uerissima haec gradatio sermonis oritur: primum audiuimus interdum sed raro; alterum eruditi sermonis est, ut iam plures sic loquantur; tertium denique magis dixisse decet, ut omnes fere id dicant. — Sequuntur haec uerba: „sicut ex eo, quod continetur, usus recipit 'bene moratas urbes' et 'poculum epotum' et 'saeculum felix'; at id, quod contra est, raro audeat quis nisi poeta“. Hoc metonymiae genus non satis perspicue signatum est, nec dubitari potest, quin sic scrip-

serit Quintilianus: „sicut ex eo, quod *continet, id, quod* continetur, usus recipit“, quomodo et § 23 dicitur: „haec inuentas ab inuentore et subiectas res ab optinentibus significat“ et § 25: „nisi forte hoc (i. e. exemplum statim ante adlatum: iam proximus ardet Ucalegon) potius est a possessore quod possidetur“ (quam ex eo, quod continetur, id, quod continet) et § 27: „id, quod efficit, ex eo, quod efficitur, ostendimus“. (§ 26 miror Halmium non retinuisse, quod in edd. antiqq. erat: „cum ‘ab Hannibale caesa apud Cannas sexaginta milia’ dicimus“; nam metonymia in eo sita est, quod „ab Hannibale“ pro eo, quod est „ab Hannibalis militibus“, dicitur.)

VIII, 6, 33 postrema uerba eodem plane modo, quo Hauptius, emendaueram, ut scriberem: „dure etiam iungere ‘arquitenentem’ et diuidere ‘septem triones’ uidemur“; tantum hoc addam, quo correctionis ueritas adfirmetur, a rhetoribus Graecis (cfr. Rhet. Gr. ed. Spengel vol. III p. 196, 16) inter onomatopoeias genera referri ea, quae κατὰ σύνθεσιν et κατὰ διαίρεσιν fiant; exempla adferuntur νεφεληγερέτα et πόλις ἄκρη.

VIII, 6, 34—35 in codd. scribitur: „Eo magis necessaria catachresis . . ., quae non habentibus nomen suum accommodat, quod in proximo est; sic . . . apud tragicos aegialeo paret at pater“, et haec scriptura eo firmatur, quod supra § 26 (p. 102, 16 H.) eadem uerba „apud tragicos aegialeo“ falso loco irrepserunt, quod eo factum esse uidetur, quod librarius unum folium transierat, deinde statim animaduerso errore ad uerum rediit. In his uerbis Halmius (nam superiorum conatus omitto) hoc latere suspicatur: „apud tragicos ‘Aeeta Aegialeum parit’, at est pater“. Sed etiamsi parere sic poni potuisse concedamus, quemadmodum partus ponitur (Cic. Tusc. II, 20), catachresis in illo uerbo esse non potest; haec enim res suum

nomen habet, quod est „gignit“, ut, si „parit“ pro „gignit“ dictum esset, translatio esset, non catachresis; et h. l. Quintilianus uerae catachreseos exemplum ponere debet, non poeticae illius, quae § 35 extr. commemoratur. Solum est, quod huic loco conueniat, hoc, quod facillima correctione efficitur: „apud tragicos Aegialeo '*parentat*' pater“; nam in hoc uerbo catachresis est, cum „parentare“ proprie significet: „parentibus inferias persoluere“, ut parum recte hic poni uideatur, ubi pater filio inferias dat; sed necessarium erat hoc uerbo in illa quoque re uti, utpote quae proprium nomen non haberet. In iis, quae sequuntur, codicum scriptura retinenda est: „*Mille* sunt haec: 'acetabula', quidquid habent cet.“, id est: „mille huius generis exempla adferri possunt“; „mille“ hoc modo Quintilianus saepe utitur, ut ostendit lex. Bonnelli. Quid in praecedentibus litteris: „si caecum ogra putant edificant“ lateat, nescio, sed certum est Badii coniecturam prauam esse. Uerba: „sic equum . . . aedificant“ uera sunt; in mediis lateat aliquid necesse est, quod significet „equum“ per catachresin dictum esse, cum machina lignea sit. — § 35 sine dubio addita praepositione scribendum est: „discernendumque est *ab* hoc totum translationis istud (i. e. quod supra commemoraui) genus“.

VIII, 6, 41—42 scribitur: „exornatur autem res tota maxime translationibus: 'cupiditas effrenata' et 'insanae substructiones'; et solet fieri aliis adiunctis epitheton tropus, ut apud Uergilium 'turpis egestas' et 'tristis senectus'“. Sed primum uocabulum „aliis“ quid significet, plane incertum est, et Quintilianus rem apertius significare debuit; deinde non uideo, quid tota illa sententia: „et solet fieri . . . tropus“ h. l. agat, cum nondum de eo disputatum sit, an epitheton per se tropus uocari possit, quae disputatio infra demum § 43 inducitur.

In codd. non est „tropus“ sed „tropis“, ut certo scribendum sit: „et solet fieri (scil. ut res exornetur) aliis adiunctis *epitheto* tropis“, uelut in exemplis Uergilianis metonymia (§ 27) epitheto adiungitur, infra § 43 antonomasia. — Deinde scribitur: „Uerumtamen talis est ratio huiusce uirtutis, ut sine adpositis nuda sit . . . oratio, oneretur tamen multis; nam fit longa et impedita uti questionibus eam iungas similem agmini totidem lixas habenti quot milites“, in quibus illa agminis similitudo certam loci emendandi uiam monstrat. Nam eiusmodi agmini ea demum oratio similis esse potest, in qua omnibus uerbis epitheta adponuntur, quibus adponi possunt, ut totidem fiant epitheta quot nomina. Iam prope manifestum est corrupta illa uerba: „uti questionibus“ ex his orta esse: „utique si om̄ibus“, quo perspecto cetera facile corriguntur; nam sic scripserat Quintilianus: „nam fit longa et impedita, *utique si omnibus ea* iungas, *simillima* agmini . . . habenti“.

VIII, 6, 43 scripsit Halmius: „Sunt autem, quibus non uideatur hic omnino tropus, quia nihil uertat; nec est (codd. necesse est) semper, sed id quod est (sic P; in AG est: sed cum id est [G idē]) adpositum, si a proprio diuiseris, per se significat et facit antonomasiam“. Haec scriptura praua est; nam cum dixerit Quintilianus epitheton non semper tropum esse, necesse est, deinde dicat, quando sit; sed id non fit, et prorsus non adparet, quid illa sententia: „sed id . . . facit antonomasiam“ hoc loco sibi uelit. Ut sententia, quae per se satis perspicua est (cfr. IX, 1, 6), efficeretur, saltem scribendum erat: „sed *si* id. quod cet.“; sed potius hoc scriptum fuisse putauerim, quod ad codd. AG scripturam propius accedit: „. . . nihil uertat; *at* necesse est semper *sit*, cum *idem* adpositum (i. e. idem ex nulla parte mutatum), si a proprio diuiseris,

per se significat et facit antonomasiam". — Deinde scribitur: „nam si dicas 'ille qui . . . euertit', erit antonomasia, si adieceris 'Scipio', erit adpositum; non potest ergo esse iunctum". Pro postremo uerbo Halmius ex Christii coniectura „seiunctum" scripsit, Regius uero „non potest ergo non esse iunctum" ediderat; sed ego equidem hanc sententiam non intellego. Quid enim est, quod non potest esse? Regius, ut opinor, „tropus" audiri uoluit, quod fieri nullo modo potest. Adparet Quintilianum hoc exemplo ostendere uoluisse epitheton, si per se positum antonomasia sit, merito tropi nomine uocari posse; ut haec sententia efficiatur, uerba quaedam, quae facile omitti poterant, addenda sunt, ut fiat: „non potest ergo esse iunctum *aliud, quam est seiunctum*", id est tropus; nam seiunctum hoc tropum esse omnes concedent.

VIII, 6, 52 in codd. est: „haec allegoria, quae est obscurior, aenigma dicitur"; pro „haec" Halmius Spaldingium secutus „sed" scripsit, sed pronomen recte habet; significat enim prius allegoriae genus, quod aliud uerbis, aliud sensu ostendit (§ 44), in quo tractando Quintilianus adhuc uersatus est, inde a § 54 ad alterum genus transiturus. Sed praeterea necessario scribendum est: „*Haec* allegoria, *qua* (id est: quatenus; cfr. IV, 1, 17) est obscurior, aenigma dicitur".

VIII, 6, 58 sine dubio scribendum est: „ut arbor pinus et olea et cupressus *est* (codd. et), ipsius per se nulla proprietas".

IX, 1, 7 retinenda est codicum scriptura, quae uerissima est: „Quo modo autem ironia alia sit tropi, alia schematos, suo loco reddam; nomen enim fateor esse commune. *Haec* (uulgo: „commune, et") scio quam multiplicem habeant . . . disputationem". Pronomine „haec" eae quaestiones significantur, quae uniuerse de differentia

tropi et schematos habentur, non de ea sola differentia, quae inter ironiae duo genera interest, sicut editores uulgo putauerunt; sed ea, quae sequuntur, apertissime ostendunt de tropis et schematis uniuerse agi.

IX, 2, 14—15 scribendum est adiecta particula copulatiua: „ceterum et interrogandi se ipsum et respondendi sibi solent esse non ingratae uices, ut Cicero pro Ligario: apud quem . . . reddidit; *et* aliter pro Caelio ficta interrogatione: dicet aliquis . . . adulescentis? et totus locus, deinde: ego, si qui . . . fuit et cetera“. Nam hoc quoque eiusdem generis exemplum est, cuius praecedens, sed paulo aliter formatum. Saepe hac particula aut detracta aut addita erratum esse constat; aliquot exempla h. l. addam. II, 4, 33 scribendum est: „utroque autem modo pauca de his et fere certa dicuntur: nam et genera sunt tria sacri, publici, priuati iuris (quae diuisio . . . comparata sit), *et* ea quidem, de quibus quaeri solet, communia omnibus“. — XI, 1, 31: „nam neque tam plenum et erectum . . . senibus conuenerit (sic recte Spaldingius) . . . apta sit; *et* in iuuenibus etiam uberiora paulo . . . feruntur“. — XII, 1, 16: „testimonio est actus nobilissime consulatus *et* integerrime prouincia administrata et repudiatus uigintiuiratus et cet.“. — Contra XI, 1, 64 omissa eadem particula scribendum: „potest tamen aliquando mater in (codd.: et in) re leuiore aut minus infeste contra filium stare“.

IX, 2, 46, ubi Quintilianus exponit, quomodo ea ironia, quae tropi est, et ea, quae schematos, inter se differant, postquam § 45 tropum et apertiorem et breuiorem esse dixit, haec leguntur: „At in figura totius uoluntatis fictio est, adparens magis quam confessa, ut illic uerba sint uerbis diuersa, hic sensus sermoni et uoci (sic Halmius; in A est: sermonis et loci; in B: sermonis et ioci) et

tota interim causae conformatio". In his primum illud comma delendum est, quod post „fictio est" a Bonnello recte omissum Halmius rursus addidit; nam prima tropi et figurae differentia in eo sita est, quod tropus apertior est, figura uero obscurior, id quod uerbis „adparens magis quam confessa" significatur, ut haec uerba attributi loco artissime cum uerbis „uoluntatis fictio est" iungenda sint. Deinde, quod in tropo „uerba uerbis diuersa" esse dicuntur, hoc equidem non intellego, nec fere dubitauerim, quin scriptum fuerit: „ut illic uerba sint *rebus* diuersa"; quae correctio iis firmatur, quae VIII, 6, 54 leguntur: „(ironia) aut pronuntiatione intellegitur aut persona (malim: *personae*) aut rei natura; nam si qua earum uerbis dissentit, adparet diuersam esse orationi uoluntatem". Quae deinde Halmius scripsit, sine dubio praua sunt; nam si „sermo" et „uox" idem significant (scilicet uerba orationis), cur duobus uerbis pro uno uti uoluerit Quintilianus, non adparet, et „uocibus" scribendum erat; sin autem uocem idem esse Halmius uoluit, quod pronuntiationem, prauum hoc est, cum e contrario pronuntiatio ipsa, si quid aliud, ironicum sermonis sensum ostendat. Dubitari uix poterit, quod iam alii intellexerunt, quin prima tropi et figurae differentia omnibus uerbis usque ad haec: „hic sensus sermoni" contineatur; deinde ea, quae sequuntur, ad alteram differentiam pertinent, quae in eo est, quod figura longior est, tropus breuior. Iam adparet haec recte inter se iungi: „At in figura totius uoluntatis fictio est . . . et tota interim causae conformatio" (id est: tota interim causa sic conformata est); quid igitur faciamus uerbis „et loci" uel „et ioci"? Puto retinendam esse cod. A scripturam; nam ut tota causa sic conformata sit, ut ironiae figuram habeat, rarius certe fit, sed non raro, ut locus aliquis sic conformetur. Sic igitur hunc locum Quin-

tilianum scribere potuisse credo: „At in figura totius uoluntatis fictio est adparens magis quam confessa, ut illic uerba sint *rebus* diuersa, hic sensus sermoni, et loci et tota interim causae conformatio". Sed tamen et „*totius*" pro „tota" scribi malim, sicut statim post dicitur „uniuersa uita" et § 48 „per totas quaestiones", et melior orationis forma futura esse mihi uidetur hoc modo: „. . . hic sensus sermoni; et loci et *totius* interim causae *ea* conformatio" (scil. est). Uerum has correctiones non prorsus necessarias esse credo.

IX, 2, 89, ubi scribitur: „ut autem nemo contra id, quod uult, dicit, ita potest melius aliquid uelle, quam dicit", pro „melius", ni fallor, potius „*maius*" scribendum est. Contra X, 1, 119 sine dubio scribendum est: „Trachalus plerumque sublimis . . . et quem uelle optima crederes, auditus tamen *melior*".

IX, 2, 90 scribendum est: „ut in multis controuersiis, *sic* (codd. „sed"; Francius: „et") in hac quoque".

IX, 3, 8, cum credibile non sit Quintilianum loci Uergiliani sententiae adeo esse oblitum, ut nominatiuum pro datiuo poneret, ut ipsa disputatio ostendit, necesse est, Uergilii uerba sic legerit aut citauerit: „*quîs* non risere parentes | nec deus hunc mensa dea nec dignata cubili est"; nam sic demum plurali („quîs") singularis („hunc") subiungitur. Ergo etiam statim post scribendum est: „ex illis enim, *quîs* non risere, hic, quem non dignata". Sed hic quoque, ut supra ad VII, 9, 7 uidimus, lector aliquis incautus Quintiliani uerba ex Uergilio correxit, ideoque „cui" in codd. scribitur.

IX, 3, 18 in A est: „Ex eadem parte figurarum prioredicto (G.: priora dicto) et adiectio est illa", cuius loci emendatio facilis et certa est; nam una littera sublata scribendum est: „Ex eadem parte figurarum, *priore dico*, et adiectio est illa". Supra enim § 2 Quintilianus uerbo-

rum figuras in duo genera diuisit, alterum grammaticum, alterum rhetoricum; ad prius igitur genus eam adiectionem et detractionem pertinere dicit, quam h. l. commemorat. Uerbi „dico“ sic interpositi, ut non mutetur ceterorum uerborum forma, exempla adtulit Bonnellus s. u. dico I γ). — § 19 manifesta lacuna sic explenda esse uidetur: „nam de altera, quae *rhetorica est, adiectione atque* detractione pluribus dicendum est“, quod fit infra § 28 sqq., § 58 sqq.

IX, 3, 50 retinenda est optimorum codicum scriptura, quae uera est, modo recte interpungatur, quod sic fit: „Hoc genus (dissolutionis) et βραχυλογίαν uocant, quae potest esse copulata. Dissoluto contrarium (uulgo sine sensu: „copulata dissolutio. Contrarium) illud est schema, quod coniunctionibus abundat“. Dicit Quintilianus quosdam scriptores hanc dissolutionem etiam brachylogiam uocasse, quorum sententiam non probat, cum brachylogia etiam copulata esse possit; cfr. Anaximenes de arte rhet. cap. 22 (Rhet. Graec. ed. Spengel I p. 209, 19 sqq.): βραχυλογεῖν δὲ βουλόμενον . . χρὴ . . συνδέσμους ὀλίγους ποιεῖν, τὰ πλεῖστα δὲ ζευγνύναι. „Dissoluto“, non „dissolutioni“, Quintilianus hic dixit, quo facilius cetera uerba neutri generis subiungerentur.

IX, 3, 66—67 scripsit Halmius: „Adnominatio . . . non uno modo fieri solet. Ex uicinia quaedam praedicti nominis ducta casibus declinatis . . .; et cum uerbo idem uerbum plus significans subiungitur: quando homo hostis, homo; quibus exemplis sum in aliud usus, sed in uno ἔμφασις est et geminatio. Παρονομασία contrarium est, quod eodem uerbo quasi falsum arguitur: quae lex priuatis hominibus esse lex non uidebatur“. Rectius hoc est, quam quod olim edebatur, et imprimis Woelfflini coniectura (ἔμφασις) laudanda est; sed tamen etiam haec scriptura mendo laborat. Nam quomodo

„παρονομασίᾳ contrarium“ id uocari possit, in quo et ipso παρονομασία est, cum uerbum „lex“ iteretur? Praeterea ipse Halmius recte intellexit sic in iis, quae praecedunt, necessario scribendum esse: „sed in uno *simul* (i. e. praeter παρονομασίαν) ἔμφασις est et geminatio“. In cod. A scribitur: „sed in uno CPACIC est (haec in rasura; G.: fassis est) et geminatio ΠΑΡΑΟΝΟΜΑCΙΑ ei contrarium est“, unde sine dubio hoc faciendum est: „quibus exemplis sum in aliud usus, sed in uno (i. e. in posteriore: quando homo hostis, homo) ἔμφασις est, geminatio, παρονομασία. *Ei* (i. e. huic paronomasiae exemplo) contrarium est (sed tamen et ipsum paronomasia), *cum* eodem uerbo quasi falsum arguitur“, in quibus „cum“ Spaldingio debetur. Adparet postremum paronomasiae exemplum praecedenti eo contrarium esse, quod in illo idem uerbum ita subiungitur, ut superioris notionem firmet et augeat, in hoc uero ita, ut superioris notionem tollat, cum falso sic dictum esse significet.

IX, 3, 72 scribitur: „pessimum uero: ‘ne patres conscripti uideantur circumscripti’; ‘raro euenit, sed uehementer uenit’. Sed contingit (codd.: sic contigit), ut aliqui sensus uehemens et acer uenustatem aliquam non eadem ex non dissona accipiat“. Sed posterius exemplum, quod unde Quintilianus sumpserit, nemo dicere potuit, meo quidem iudicio sensu plane destitutum est, nec uideo, qua significatione duo illa uerba „uehementer uenit“ iungi potuerint; praeterea, quod dicitur „pessimum uero“, ostendere uidetur Quintilianum unum tantum exemplum adtulisse; alioqui enim dixisset: „pessima uero haec“, sicut paulo ante dicitur: „illa leuiora“, et fortasse etiam coniunctionem copulatiuam exemplis interposuisset. Etiam ea, quae sequuntur, potius hoc modo superioribus adiungenda erant, ut scriberetur: „Interim et hoc contingit, ut cet.“. Suspicor prauum illud uerbum „uenit“ librario deberi, qui

his uerbis exemplum contineri falso crediderit, et Quintilianum ipsum hoc scripsisse: „... circumscripti'. Raro euenit, sed uehementer *ualet, si* contingit, ut aliqui sensus ... uenustatem aliquam non eadem ex *uoce, sed ex* non dissona accipiat". „Uehementer ualet" dicitur ut IX, 2, 16: „mire ualet". Uerba, quae sunt „uoce sed ex", addidi Christium secutus, cuius correctio paulo contortiorem orationem reddere mihi uidebatur. § 73 sic scribi malim: „in uerbis tantum distantibus iucunde consonat uox, praesertim non *captatis* sed uelut *oblatis* (codd.: „captata . . . oblata"), cum altero suo sit usus, alterum ab aduersario acceperit"; fere enim necessario fieri uidetur, ut participia illa ad uocem „uerbis" referantur, cum „uerbo" et „uerbum" in sequentibus sententiis audiatur.

IX, 3, 81 in A est: „Contrapositum . . . non uno fit modo. Nam et sic singula singulis opponuntur . . . et bina binis . . . et sententiae sententiis". Adparet in his desiderari, quod uocabulo „sententiae" contrarium reddatur, ut fere certum sit Quintilianum scripsisse: „nam et sic singula *uocabula* singulis opponuntur"; cfr. Rhetor. Graec. ed. Spengel III p. 78, 20 sqq.

IX, 4, 18 fieri uix potest quin aliqua exciderint; nam cum § 16 Quintilianus haec dixerit: „neque enim mihi quamlibet magnus auctor Cicero persuaserit, Lysian, Herodotum, Thucydiden parum studiosos eius (i. e. compositionis) fuisse", deinde § 17 de Lysia disputauerit et inde a § 18 ad historiam transierit ibique extremis uerbis de Herodoti compositione pauca dicat, mirum sane est, Thucydidis prorsus nullam fieri mentionem. Sed § 18 med. haec uerba leguntur: „in contionibus quidem etiam similiter cadentia quaedam et contraposita deprehendas"; nec fieri potest, quin hic illae contiones significentur, quas historiae suae passim inseruit Thucydides; cfr. X, 1, 73.

Ergo ante haec uerba quaedam excidisse statuendum est, quorum haec fere sententia fuit: „*In Thucydide tamen multis locis satis numerosa compositio est*“; sed uerba ipsa me non praestare uix opus est dicere. *Παρονομασίαι* ex Thucydide adferuntur (et quidem e contionibus) Rhetor. Graec. III p. 10, 17; p. 36, 22; p. 71, 32; *πάρισον* II p. 440, 9; similiterque aliae figurae. Cfr. etiam infra IX, 4, 78.

IX, 4, 45 scribitur: „Omnis structura ac dimensio et copulatio uocum constat aut numeris . . . aut *μέτροις*, id est dimensione quadam“. Sed certe praue dicitur dimensio uocum dimensione quadam constare; deinde peruerse inter duo uerba idem fere significantia, quae sunt „structura ac compositio“, tertium plane diuersae significationis interponitur. Ueri simile igitur mihi uidetur uerba „dimensio et“ tollenda esse; et fieri potest, ut ex sequenti uersu „dimensio“ librarii errore irrepserit.

IX, 4, 52—53 apud Halmium scribitur: „(metrici pedes) adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis omnium generum excidant uersus, et contra nihil *non*, quod est prosa scriptum, redigi possit in quaedam uersiculorum genera uel in membra: sicut in (sic Halmius ex Spaldingii coniectura; G. „sint ad in“; A „sint a*t* in“) molestos incidimus grammaticos, † quam fuerunt, qui lyricorum quorundam carmina in uarias mensuras coegerunt“. Hic, quod ad prima uerba pertinet, cum Halmio consentio, nisi quod „non“ potius ante „possit“ inserendum censeo; sed de extremis uerbis ualde ab eo dissentio. Neque enim intellego, quo uinculo illa sententia: „sicut in molestos cet.“ cum antecedentibus cohaereat, nec quid h. l. agat; nec melius fiet, si cum Halmio pro „sicut“ scripserimus „quid quod“, quo accedit, quod haec correctio a scripturae uestigiis etiam longius discedit.

Deinde, ut Halmius ipse significat, particula „quam“ in hac scriptura mendi manifesta est, quod ut corrigant, ad uiolentissimas mutationes confugiunt. At haec ipsa particula ostendere debebat, quo modo cetera corrigenda essent; nam sine dubio scribendum est: „nihil . . . redigi *non* possit in quaedam uersiculorum genera uel in membra, *si in tam* molestos incidimus (scil. nos prosae orationis scriptores) grammaticos, quam fuerunt, qui . . .“. Sententia perspicua est: si molesti isti grammatici etiam in lyricorum carminibus, ubi certior dimensio et quae hoc non pateretur expectanda erat, hoc facere potuerunt, ut ea uario modo in uersus discriberent, aeque facile aut etiam facilius in prosa oratione uersiculos aut uersuum membra deprehendere poterunt. — Deinde scribendum est: „*Ac* (codd.: at) Cicero frequentissime dicit . . .“.

IX, 4, 81—82 manifesta lacuna ex cod. A uestigiis potius sic explenda est, cum omnia uerba uno loco excidisse statuimus: „longa inter breuis amphibra*chyn. Duabus longis breuem sequentibus bac*chios, huic *aduersus* (AG.: ausis; cfr. XII, 1, 35) longis breuem praecedentibus palimbacchius erit“.

IX, 4, 85 Quintilianus eam sententiam probare studet, quam § 84 his uerbis proposuit: „sit in hoc quoque aliquid fortasse momenti, quod et longis longiores et breuibus sunt breuiores syllabae“; nam ea reici debere uidetur habita uersuum ratione, ut in quibus omnes longae itemque omnes breues inter se ipsae sint pares; sed uersuum propriam condicionem esse dicit, ut ex his nihil argumenti contra illam sententiam peti debeat. Postquam haec disputauit, sic scribitur: „Ueritas uero quia (AG: qui) patitur aeque breuem esse uel longam uocalem, cum est sola, quam cum eam consonantes una pluresue (hoc uerbum A m. 2 in ras. habet) praecedunt, certe in dimensione pedum syllaba, quae est breuis, insequente alia *uel longa* (add. Christius) uel breui, quae tamen duas

primas consonantes habeat, fit longa". Sed haec scriptura manifesto falsa est. Primum enim haec sententia: „ueritas uero quia patitur cet." per se Quintiliani proposito plane contraria est; nam particula „uero" ostendit „ueritatem", id est ipsius rei naturam, contrariam poni rationi uersuum; ergo cum uersus omnes longas omnesque breues inter se pares esse patiatur, sequitur, ut ueritas hoc non patiatur; nunc uero pati dicitur. Deinde apodosis: „certe . . . fit longa" et ea, quae deinde usque ad finem § 86 disputantur, contraria sunt illis, quae in protasi dicta sunt; eo enim pertinent, ut ostendant breuem syllabam altera breui breuiorem esse posse (ut in exemplo adlato syllaba gre breuis est sed tamen plus habet quam breuissima). Ex his molestiis expediemur, si codicum scripturam retinuerimus adhibita uera interpungendi ratione: „Ueritas uero *quî* patitur (= non patitur) aeque breuem esse uel longam uocalem, cum est sola, quam cum eam consonantes *duae tresue* praecedunt? Certe in dimensione cet."; „duae tresue" necessario scribendum esse ostendunt uerba, quae sequuntur: „quae tamen duas primas consonantes habeat", itemque exemplum, quod adfertur; et in G est: „una etreue". Deinde § 86 sine dubio scribendum: „nam 'a' breuis, '*gre*' breuis, *facit* (sic Regius; codd. „gres . . . faciet") tamen longam priorem". Hac igitur ratione Quintilianus positionis uim explicare studet, ut dicat eam syllabam, quae positione fiat longa, cum per se breuis sit, aliquod tempus a sequenti syllaba sumere; inde sequi, ut haec syllaba, quae aliquod tempus accommodet superiori, si et ipsa breuis sit, breuissima tamen esse non possit sed necessario plus habeat quam breuissima, cum uno tempore inde ad praecedentem sumpto tamen aliquid supersit. Ita demonstratum est, breuibus breuiores esse syllabas nec pati ueritatem omnes

breues inter se pares esse. Alterius generis exemplum, quo demonstraretur longis longiores esse syllabas, Quintilianus non adiecit, sed quiuis facile reperire potest.

IX, 4, 126 in AG scribitur: „ubicumque acriter erit et instanter et pugnaciter dicendum, membratim caesimque dicemus; nam hoc in oratione plurimum ualet". Pro „oratione", quod certe aptum huic loco non est, Spaldingius „altercatione" scribendum censebat, idque Halmius probat; sed tum particula „nam" praua est, cum potius „et" dicendum esset, et praeterea non in altercatione modo sic dicendum est. Puto fuisse: „nam hoc in *ea ratione* plurimum ualet".

IX, 4, 131 sine dubio scribendum est: „*lenibus* (codd.: grauibus), sublimibus, ornatis longas magis syllabas conuenire", cum et praecedat: „lenius . . . sublimius ... ornatius" et sequatur: „lenia . . . sublimia . . . ornata"; atque etiam si „grauibus" idem significaret, tamen uix crediderim Quintilianum medio loco appellationem mutaturum fuisse. „Grauibus" propter praecedens „gracilius" ortum uidetur. Cfr. etiam supra § 92: „leniores, quae a longis in breues descendunt" (ubi paulo post mire Halmius scripsit: „lenius a duabus breuibus", cum et superiora uerba cum his pugnent, et ea, quae sequuntur: „sed hoc pro Cluentio recte", clare ostendant Quintilianum alioquin hanc rationem improbare, ut potius scribendum esset: „*peius* a duabus breuibus"; sed de hoc loco ἐπέχω).

IX, 4, 147 extr. in G scribitur: „dissimulatio curae praecipua (scil. esse debet), ut numeru spondet flexisse arcessisse non arcessisti et coacti esse uideantur". Cetera Regius recte emendauit sed uocem „arcessisse" deleuit; et potuit sane haec uox ex dittographia oriri, sed ueri similius mihi uidetur Quintilianum etiam priore loco duos infinitiuos posuisse, quare sic eum scripsisse suspicor: „ut

numeri sponte fluxisse *ac uenisse*, non arcessiti et coacti esse uideantur" (nam *cessisse*, quod initio scribendum esse conieceram, uix sic dicitur).

X, 1, 15 scribitur: „Sed ut copia uerborum sic (i. e. lectione et auditione) paratur, ita non uerborum tantum gratia legendum uel audiendum est. Nam omnium, quaecumque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis, quae traduntur, artibus, ... quia, quae doctor praecepit, orator ostendit". Pronomen „hoc", quod Regii coniecturae debetur (nam in codd. „haec" scribitur), Halmius cum Spaldingio ad „quia" refert dicitque „hoc — quia" idem significare, quod „propterea — quod". Sed ut haec enarratio uera sit, scire uelim, quo uinculo haec sententia cum iis, quae praecedunt, cohaereat; ego enim nullum uideo. Contra fere necessarium uidetur Quintilianum, cum non uerborum tantum gratia legendum esse dixerit, deinde dicere, cuius alius rei gratia hoc faciendum sit; sed id non dicitur aut saltem non diserte. Cur igitur legendum et audiendum est? Scilicet, ut e lectione et auditione exempla petamus. Quare dubitandum non est, quin „haec" alio modo corrigendum sit atque ita scribendum: „Nam omnium, quaecumque docemus, *hinc* (cfr. V, 10, 15; XII, 2, 31, al.) sunt exempla, potentiora (i. e. quae potentiora sunt), etiam ipsis, quae traduntur, artibus". Sic demum illa sententia de utilitate et ui exemplorum ceteris recte subiungitur.

X, 1, 16 scribendum puto: „nec *forma* modo iudicii sed etiam ipsorum, qui orant, periculo adficimur". Mouet nos forma ipsa et species ueri iudicii (cfr. Cicer. pro Milon. 1); quid sit „fortuna iudicii", non intellego.

X, 1, 38 scribitur: „cum in Bruto M. Tullius tot milibus uersuum de Romanis tantum oratoribus loquatur et tamen de omnibus aetatis suae ... silentium egerit,

quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt et Graecos omnis et philosophos?" Duo postrema uerba Halmius inclusit disciduli cuiusdam sententiam incautius secutus; neque enim intellegitur, unde irrepere potuerint, nec oratores tantum sed etiam ceteri scriptores omnis generis enumerandi erant, et hoc demum modo opus infinitum fit. Praeterea miror Halmium uerbi ellipsin tolerasse, quae ferri nullo modo potest, quod iam editores antiqui uiderant; nam „persequi uelis" quomodo ex ea sententia audiri poterit, quae § 37 extr. legitur? Etiam hic scripturae defectus signandus erat; nam ad hanc fere sententiam scripserat Quintilianus: „si et illos . . . et Graecos omnis *persequi uelis, nec oratores tantum, sed etiam poetas et historicos* et philosophos?"

X, 2, 21—22 scribitur: „Id quoque uitandum . . ., ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus decor est". Sed etsi ferri fortasse potest singularis „cuique", cum praecedat pluralis, tamen, cum in optimo codice B „propositio" scribatur, certum est scribendum esse: „sua cuique *proposito* (id est, officio poetarum, historicorum, oratorum) lex, suus decor est". De „propositi" uocabulo sic usurpato cfr. u. c. IX, 4, 19; XI, 1, 33.

X, 2, 25 uulgo editur: „Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit? mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem; quid tamen noceret uim Caesaris, asperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibusdam in locis adsumere?" Sed sententia illa „si omnia consequi possem" post eam interrogationem, quae praecedit, abundat, ac praeterea sic loqui debuit Quintilianus: „si per omnia eum (uel: si omnia illius) consequi possem". Uix dubitandum est, quin haec

sententia cum sequentibus coniungenda sit, quo facto etiam coniunctiui „noceret“ ratio melius explicatur; sed tum addita transitus particula ita scribendum: „Mihi quidem satis esset; *set*, si omnia consequi possem, quid tamen noceret uim Caesaris . . . adsumere?“ (id est: sed, etiam si satis mihi esset, tamen nihil noceret uim Caesaris . . . adsumere, si omnia haec consequi possem).

X, 3, 1 scribendum uidetur: „Et haec quidem auxilia extrinsecus adhibentur; in iis autem, quae *e* nobis ipsis paranda sunt cet.“, ut „e nobis ipsis“ (cfr. infra 5, 10) contrarium ponatur uerbo „extrinsecus“.

X, 3, 17: „Diuersum est huic eorum uitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam uelocissimo uolunt et sequentes calorem . . . scribunt (hanc siluam uocant), repetunt deinde et componunt, quae effuderant; sed uerba emendantur et numeri, manet in rebus . . . leuitas“. Pro „sed“ scribendum erat „sed ita“ uel „sed ita tantum“; sed puto fuisse: „*sic* uerba emendantur et numeri“.

X, 3, 20: „At idem ille, qui excipit, si tardior in scribendo aut incertior in legendo uelut offensator fuit, inhibetur cursus, atque omnis, quae erat concepta, mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur“. Quid sibi hoc loco uelit lectio, quae significatur uerbis „incertior in legendo“, non uideo; nam quod Bonnellus hoc significari dicit, dictantem interdum a librario postulare, ut scripta sibi praelegat, primum ipso „praelegendi“ uerbo hoc significandum erat, deinde uix dixeris, quomodo dictantis cursus eo inhiberi possit, cum inter hanc praelectionem non dictet. Ni fallor, scripsit Quintilianus: „incertior in *tenendo*“; significatur notarium imperitum et oscitantem uerba, quae dictantur, non statim intellegere aut fideliter tenere, ut saepius eadem dictanda sint.

X, 3, 21: „illa, quae . . . animum quodammodo concitant, quorum est iactare manum, torquere uultum, femur et latus interim obiurgare . . ., etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus". Sic de Bursiani coniectura et uiolentissima et parum recta scribitur; nam quod Bonnellus, qui eodem fere modo „sinum et latus obiurgare" scripsit, „obiurgare" h. l. idem esse quod „caedere" dicit, id nullo modo probari potest adlatis talibus exemplis, qualia sunt „uerberibus obiurgare" (Senec. de ira III, 12, 6) aut „colaphis obiurgare" (Petron. 34), cum ibi ablatiuo addito res plane diuersa fiat. In cod. B scribitur: „simul et interim obiurgare", in quo sine dubio nihil aliud latet quam hoc: „*semet* interim obiurgare". Res satis nota est: obiurgat semet ipse scribens et conuicium sibi facit ut stulto, si quando tardior in inueniendo est.

X, 5, 13 necessario transpositis duobus uerbis scribendum est: „nam quid interest, 'Cornelius trib. pl., quod codicem legerit, *rectene* (hoc uere addendum censet Halmius) reus sit', *quaeramus, an*: 'uioleturne maiestas, si . . . recitarit'?" Et in ea interrogatione, quae sequitur similiter ficta, uerus uerborum ordo („ueniat in iudicium an") est.

X, 7, 3 in cod. B scribitur: „quae uero patitur hoc oratio, ut quisquam sit orator aliquando mittere casus? quid, cum aduersario respondendum erit, fiet?" Halmius recepta Bonnelli coniectura pro „sit . . . mittere" scripsit: „possit . . . omittere"; sed si haec corrigendi loci ratio recta esset, simul „aliquando" cum Bonnello abicere debebat, quod in hac sententiae forma peruersissimum est. Uerum et sic licentius corrigitur et tamen una difficultas manet; nam cum adpareat Quintilianum his uerbis: „quid, cum aduersario respondendum erit, fiet?" ad rem nouam transire nec iam de subitis illis casibus et necessitatibus

agendi loqui, quae § 2 initio nominantur, sed de eo, quod in omnibus causis fieri potest, etiam in iis, ad quas alioquin orator se praeparare potuit, scilicet ut aduersario aliquid ex tempore respondendum sit, hic transitus ita certe signandus erat, ut scriberetur: „Deinde quid fiet?" aut: „Quid autem fiet?" Sine dubio mendum infinitiuo inest, ac uix dubito, quin hoc Quintilianus scripserit: „quae uero patitur hoc ratio, ut quisquam sit orator aliquando (id est, interdum, non semper et ubique, sed tum demum, cum se praeparare potuerit)? *Mitto* casus: quid . . . fiet?" Solito loquendi genere „mitto" pro „omitto, non amplius de hoc loquor" dictum est; cfr. V, 10, 92; XI, 2, 25.

X, 7, 9 scribendum uidetur: „uix tamen aut natura aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut inuentioni, dispositioni . . . adhibita uocis, pronuntiationis, gestus obseruatione *mens una* sufficiat". In B est: „obseruationem inluna"; Halmius „obseruatione simul" scripsit, sed adiectiuum numerale fere necessarium est. „Mens" et „animus" fere similiter coniunguntur I, 12, 1; IX, 4, 12.

X, 7, 19 scribitur: „ceterum peruenire eo debet, ut cogitatio non utique melior sit ea, sed tutior, cum hanc facilitatem non in prosa modo multi sint consecuti sed etiam in carmine". Sed posterior sententia parum recte praecedenti adiungi mihi uidetur; rectius certe esset, si in illa non „debet" sed „potest" scriberetur. Quo cum accedat, quod in B „sunt", non „sint", scribitur, locum sic scribendum censeo: „. . . sed tutior. *Quin* hanc facilitatem non in prosa modo multi *sunt* consecuti sed etiam in carmine".

X, 7, 26 scribunt: „diligentius enim componitur quam illa, in qua contextum dicendi intermittere ueremur". Sed subiectum uerbi „componitur" desideratur nec aliunde audiri potest; necessario igitur putandum erit „compo-

nitur" impersonaliter dictum esse, ita autem scribendum erit: „diligentius enim componitur quam *in* illa" (sc. exercitatione).

X, 7, 27 haec leguntur: „Studendum uero semper et ubique; neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucratiuae, ut Cicero Brutum facere tradit, operae ad scribendum ... rapi ... possit". Quod talis locus apud Ciceronem non inuenitur, non magni momenti est, cum in libris, qui interciderunt, hoc legi potuerit; sed maximi momenti est, quod tota illa sententia: „ut Cicero Brutum facere tradit" prorsus importune h. l. interponitur et sic, ut orationis formam plane pessumdet. Quare haec uerba aut abicienda sunt (et ex nota marginali oriri potuerunt) aut, quod potius crediderim, sic transponenda, ut scribatur: „Studendum uero semper et ubique, *ut Cicero Brutum facere tradit*; neque enim ... possit". Sic omnia recte habebunt, et ad hunc locum conuenient illa Ciceronis uerba, quae Quintilianum respicere arbitrantur, quae Orat. § 34 leguntur: „Iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus numquam intermittis studia doctrinae".

X, 7, 29, cum Quintilianus in hoc praecipiendi genere aut gerundiuo aut prima persona numeri pluralis utatur, sic scribendum uidetur: „scribendum ergo, quotiens licebit; si id non dabitur, cogitandum; ab utroque exclusi *debemus* (cod. B: debent) tamen id efficere, ut ... uideatur".

XI, 1, 11 Halmius ex B scripsit: „quo uel solo patet non persuadendi sed bene dicendi finem in oratore seruandum". Rectius sine dubio erat, quod Spaldingius coniecerat quodque in codd. dett. est: „in oratione"; sed tamen sic scribere malim omissa praepositione, quae ex littera *m* finali oriri potuit: „bene dicendi finem *oratori* seruandum".

XI, 1, 13 sine dubio scribendum est: „reuocante eum *L.* Sulla manere in exilio maluit"; cfr. Ual. Max. VI, 4, 4; Senec. de prouid. 3, 7; epist. 24, 4. Nam ipsius Quintiliani hunc errorem esse haud crediderim.

XI, 1, 23: „M. Tullius saepe dicit de oppressa coniuratione Catilinae, sed modo id uirtuti senatus, modo prouidentiae deorum immortalium adsignat plerumque: contra (nam sic interpungendum arbitror) inimicos atque obtrectatores plus uindicat sibi: erant enim illa tuenda, cum obicerentur". Sic Halmius; sed praeterquam quod pronomen „illa" plane superuacaneum est (et a ceteris edd. omittitur), etiam haec tota sententia fere inepta mihi esse uidetur. Quid enim? an tuenda erant, cum non obicerentur? In cod. B pro „illa tuenda" scribitur „intuenda", ex quo faciendum hoc erat: „erant enim *ita* tuenda, cum obicerentur"; scilicet, cum haec ei obicerentur et criminis loco ponerentur, ita tuenda erant, ut ea sibi uindicaret ipsi nec in senatum aut deos crimen reiceret.

XI, 1, 71 scribendum certo arbitror: „haec est profecto ratio et certissimum praeceptorum genus illius uiri obseruatio, ut, *cui* (codd.: cum) aliquid detrahere salua gratia uelis, concedas alia omnia"; nam datiuus, quem hac correctione reposui, eo molestius abest, quod in accusatiuo cum infinitiuo, qui sequitur, subiectum non ponitur, quod omitti uix potuit, nisi hic datiuus praecessisset.

XI, 1, 79 sic interpungendum et scribendum est: „Potest euenire, ut in aliis reprehendenda sint, quae ipsi fecerimus, ut obicit Tubero Ligario, quod in Africa fuerit, et (ug.: fuerit. Et) ambitus quidam damnati . . . detulerunt, *et* (codd. ut) in scholis . . . accusat". Nam adparet adferri tria eiusdem generis exempla, duo ex foro petita, tertium ex scholis, ut parum recte inter se diuellantur; ac praecipue quidem prauum est, quod duo postrema a

primo reuulsa inter se comparari putant, quae quid commune habeant, quod non etiam in primo sit, nemo dixerit.

XI, 1, 81 ex certa sermonis lege scribendum est: „Ceterum uel facillimum est ibi alienam culpam incusare, ubi *fatearis* (codd.: fateris) tuam". — § 82 manifestam lacunam parum recte Spaldingius expleuit, cum abdicatio in foro non tractetur; sed locus, qui est VII, 4, 11, ostendit Quintilianum hoc fere modo scripsisse: „scholastica materia sed non *cuius similis aliqua in foro non* possit accidere". — § 83 uocabulum „sum", quod Halmius obelo notauit, simpliciter tollendum esse censeo, ex primis litteris uerbi „suis", quod praecedit, male iteratis hoc ortum esse ratus; nam „subinde", quod uulgo eius loco ponunt, prauum est, „rursum" autem, quod Halmius proposuit, post „quoque" abundat, quo accedit, quod Quintilianus semper „rursus" dixisse uidetur.

XI, 1, 86—87 scribitur: „interim fides patrocinii cogit quaedam de uniuerso genere aliquorum hominum dicere ...; in quibus omnibus commune remedium est, ut ea, quae laedunt, non libenter tractare uidearis . . . et reprendens alia laude compenses". Sed obiectum uerbi „compenses" desidero; quare dubito, an scribendum sit: „et *reprendenda* alia laude compenses". Mendum coepit a littera *a* semel scripta, ut fieret „reprendendalia". Deinde uerum esse uidetur, quod Spaldingius scribi uolebat: „*Sic* (codd. si) cupidos milites dicas".

XI, 1, 92—93 sic interpungendum et scribendum esse puto: „nam Cicero quodam loco scribit 'id esse optimum, quod, *cum* (G: non) facile credideris, consequi imitatione non possis', alio uero 'non id egisse *se* (om. codd.), ut ita diceret, quomodo se quilibet posse confideret, sed quomodo nemo'; quod potest pugnare inter se uideri. Uerum utrumque *est* ac merito laudatur".

XI, 2, 1 ex codd. editur: „exemplorum, legum . . . uelut quasdam copias . . . eadem illa uis praesentat“. Sed „praesentandi“ uerbum nusquam sic usurpari uidetur; quare aut cum Badio „repraesentat“ scribendum est, aut hoc latet: „eadem illa uis *praesens dat*“. Uoce „praesens“ ita utitur Quintilianus XII, 1, 28.

XI, 2, 10 in G scribitur: „unde accidit ut quae per plures dies scribimus ediscendi sint cogitationes ipsa contineat“: editores uario modo scripturam corruptam emendare conati sunt, sed licentissime a uestigiis codicum digressi sententiam perobscuram effecerunt, dum orationem bimembrem esse non intellegunt, quo perspecto nullo fere negotio uera scriptura elicitur. Sic enim scribendum est: „unde accidit, ut, quae per plures dies scribimus, *ediscenda* sint, *cogitatio res* ipsa contineat“. Uerissima haec sunt et cum iis, quae praecedunt, optime conueniunt. Scilicet illa, quae per plures dies scribimus, scriptis quasi reponimus et custodire desinimus, dum alia inuenire studemus, quo fit, ut finito scribendi labore ea, quae scripsimus, ediscenda sint; contra si omissa scriptione sola cogitatione rem agimus, mens semper intenta inuentis rebus erit et hac intentione eas continebit, ut non dimittantur nec postea ediscendae sint.

XI, 2, 11 scribitur: „Artem autem memoriae primus ostendisse dicitur Simonides, cuius uulgata fabula est“. Sed genetiuum „cuius“, siue masculini siue neutri generis pronomen esse putatur, aeque prauum esse uix opus est dicere; nec difficile est uidere, quid in eo lateat. Scribendum est: „Artem autem memoriae primus ostendisse dicitur Simonides *Cius*. Uulgata fabula est“. De forma uocis „Cius“ cfr. III, 1, 10.

XI, 2, 20 in G est: „primum sensum bello cum uestibulo quasi adsignant“, quod uulgo ita corrigunt, ut

uerba duo „bello cum“ temere abiciant; at scribendum erat: „primum sensum *uel locum* uestibulo quasi adsignant“. Similiter infra § 29 „locus“ et „sensus“ (in his uerbis: „quod cuique loco signum destinauerit“ et: „ipsae notae aptentur ad ... sensus“) idem significant; cfr. etiam XI, 1, 49; I, 1, 36.

XI, 2, 21 Halmius scripsit: „opus est ergo locis, quae uel finguntur uel sumuntur, et imaginibus uel simulacris, quae utique fingenda sunt. Imagines uoces *sunt* (in G tantum „uoce“ scribitur), quibus ea quae ediscenda sunt notamus, ut, quomodo Cicero dicit, locis pro cera, simulacris pro litteris utamur“. Sed nec imagines utique uoces sunt, quod ostendit § 19, ubi „signa“, quae eadem sunt atque ea, quae nunc imagines uocantur, uel ex re tota uel ex uerbo aliquo esse posse dicuntur; nec postrema sententia, ubi Ciceronis uerba adferuntur, ullo sensus uinculo cum iis cohaeret, quae apud Halmium ante eam leguntur. Facillima unius litterae mutatione (si modo haec mutatio uocanda est, cum Halmius aliquo loco dixerit litteras *o* et *e* in G uix internosci posse) et adhibita recta interpunctione scribendum est: „opus est ergo locis ... et imaginibus uel simulacris, quae utique fingenda sunt — imagines *uoco*, quibus ... notamus —, ut, quomodo Cicero dicit, ... utamur“. Parenthesin, qua explicatur, qua significatione „imagines“ accipiendae sint, Quintilianus addere necessarium credidit, quod antea (§ 19) de eadem re uocabulo „signa“ usus erat.

XI, 2, 33 scribendum uidetur: „*Ista* (codd.: est; uulgo: haec) ratio, ut est illi, de qua primum locutus sum, arti non dissimilis, ita ... potentior“. „Iste“ et „ille“ similiter inter se respondent u. c. VIII, 5, 34.

XI, 3, 30 sic interpungendum esse adparet: „Non alia est autem ratio pronuntiationis quam ipsius orationis;

nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta esse debet, ita haec quoque (scil. emendata, dilucida . . . esse debet). Emendata erit cet." (cui respondet § 33: „Dilucida erit"; § 40: „Ornata est"; § 61 „apta"). — Similiter § 52 interpunctio sic mutanda est: „(tarditas) et difficultatem inueniendi fatetur et segnitia soluit animos et, in quo est aliquid temporibus praefinitis, aquam perdit", ubi uerba, quae sunt „temporibus praefinitis" (i. e. si tempora agendi praefinita sunt), uulgo peruerse a sententia relatiua diuelluntur et sequentibus adiunguntur. — § 126 sic interpungo: „procursio opportuna, breuis, moderata, rara conueniet; etiam ambulatio quaedam . . ."; nam prima condicio, ut conueniat procursio, haec est, ut opportunis locis fiat, deinde, ut breuis, moderata, rara sit; contra non semper opportuna eo fit, quod breuis, moderata, rara est; atqui haec sola sententia ex uulgari interpungendi ratione elici potest.

XI, 3, 71 scribitur: „significat uero (caput) plurimis modis; nam praeter adnuendi, renuendi confirmandique motus sunt et uerecundiae et dubitationis . . . noti et communes omnibus". Sed desiderari hic uerbum uidetur, quod „confirmandi" uerbo respondeat eodem modo, quo „adnuendi, renuendi" inter se respondent; quare scribendum mihi uidetur: „confirmandi *negandi*que motus".

XI, 3, 79, ubi in B scribitur: „adnuendi quoque et renuendi uoratione demittuntur aut adleuantur", hoc latere uidetur: „adnuendi quoque renuendi*ue* ratione demittuntur aut adleuantur".

XI, 3, 101 sublata „que" coniunctione, quae h. l. praua est, cum uerba inter se iungere debeat, quorum ea uis est, ut sic iungi nequeant, scribendum est: „pollici proximus digitus *medium*, qua dexter est, unguem pollicis summo suo *tangens* (codd.: „iungens"; Spaldingius „con-

tingens" malebat) remissis ceteris est et adprobantibus et narrantibus et distinguentibus decorus".

XI, 3, 103 scribendum est: „nam id et leuiter admirantes et interim subita indignatione *uel ut* (uulgo: „uelut") pauescentes et deprecantes facimus".

XI, 3, 106 scribendum uidetur: „*His* (aut: *huc*, cfr. XII, 10, 40; codd. „hic") ueteres artifices illud recte adiecerunt".

XI, 3, 134—35 in B sic fere est: „multum ex iis, quae praecepimus, mutari necesse est ab iis, qui dicunt apud tribunalia, . . . itemque ab iis, qui sedentes agent; nam et fere fit hoc in rebus minoribus . . . et quaedam uitia fiunt necessaria . . . Equidem plerosque et ad singulas clausulas sententiarum uideo adsurgentis sibi et nonnullos . . . spatiantis". Pronomen „sibi" editores uulgo abiciunt; sed sublata litterae *s* geminatione scribendum erat: „uideo adsurgentis *ibi* et . . . spatiantis" (id est, in eiusmodi causis).

XI, 3, 178—80 retinenda fere est codicis B scriptura, quae uerissima est, modo recte interpungatur, abiecta uocula „nisi", quam ex deterioribus quibusdam codd. editores addiderunt; nam sic scribendum est: „maximos actores comoediarum, Demetrium et Stratoclea, placere diuersis uirtutibus uidimus. Sed (malim: *Et*) illud minus mirum, quod . . . acrior erat; adnotandae magis proprietates, quae transferri non poterant. Manus iactare et . . . nonnumquam dextro latere facere gestus, quod neminem alium (scil. decuit), Demetrium decuit (namque . . . adiuuabatur); illum (i. e. Stratoclea) cursus . . . et contracta etiam ceruicula (scil. decuit). Quidquid horum alter fecisset, foedissimum uideretur".

XII, 1, 4, ubi Quintilianus ostendere uult, neminem futurum esse oratorem nisi bonum uirum, haec legimus: „quod si neminem malum esse nisi stultum eundem non

modo a sapientibus dicitur, sed uulgo quoque semper est creditum, certe non fiet umquam stultus orator". Sed haec conclusio falsa est, nec hoc modo demonstratur, quod erat demonstrandum. Stultum numquam fieri oratorem colligendum non est, cum id per se intellegatur; quomodo enim stultus orator cogitari possit? Sed inde sequitur, ut ne malus quidem fiat orator, cum stulti et mali eidem homines sint; atque hoc est, quod colligi debet. Scribendum igitur est: „certe non fiet umquam *malus* orator".

XII, 1, 12 sic scribendum et interpungendum uidetur: „bonus quidem et dicet saepius uera atque honesta, *et* (codd. „sed"), etiam si quando . . conabitur, maiore cum fide necesse est audiatur".

XII, 1, 19 scribitur: „ut amicos et bonos uiros et prudentissimos dicimus uulgo"; sed hic superlatiuus et per se offendit et magis etiam eo, quod positiuo subiungitur. Quare scribendum arbitror: „*prudentis* dicimus".

XII, 3, 6 editur: „atqui simillimus huic (imperatori) sit aduocatus, si plura, quae ad uincendum ualent, aliis reliquerit"; sed cum cod. B pronomen „quae" non habeat, praestat locum sic corrigere, ut scribatur: „si plura ad uincendum *ualentia* aliis reliquerit".

XII, 4, 2 scribendum uidetur: „nam illa quidem (exempla historiis conscripta aut sermonibus tradita) *proprie* aut testimoniorum aut etiam iudicatorum optinent locum"; nam in B est „propria", pro quo uulgo „priora" editur; sed sic etiam dicendum erat: „haec posteriora".

XII, 6, 3 necessario scribendum est: „si quid *dest* (codd. desit) operi, supplet aetas, et, si qua sunt dicta iuueniliter, pro indole accipiuntur". — § 4 ex codd. scribitur: „Et hercule quantumlibet secreta studia contulerint, est tamen proprius quidam fori profectus, alia lux, alia ueri discriminis facies", quod uerum esse non potest.

Nam siue „alia“ attributiue adiectum putatur, hoc ita dicitur, tamquam etiam in scholis et studiis secretis sit quaedam lux et quaedam ueri discriminis facies, sed quae ab ea diuersa sit, quae in foro uersatur; atqui lux (cfr. cap. 2, 8) et uerum discrimen ad forum solum pertinent, in illis uero omnia umbratica et ficta sunt. Sin autem „alia“ praedicatiue dictum putamus, parum rem significat; significare enim debebat hanc lucem uerique discriminis faciem alius et quidem maioris profectus causam esse, sed haec sententia ex uerbis, quae nunc leguntur, effici non potest. Sine dubio sic scripserat Quintilianus: „est tamen proprius quidam fori profectus: *alit* (cfr. Bonnelli lex. Quint. p. 53) lux, *alit* ueri discriminis facies, plusque, si separes, usus sine doctrina quam citra usum doctrina *ualeat*“ (nam sic in B est, nec hoc mutari debebat).

XII, 9, 10 scribendum arbitror: „turpis uoluptas et inhumana et nulli audientium *in* bona gratia“, cui loquendi generi fere similia sunt illa Ciceronis ad Attic. V, 20, 3: „erat in Syria nostrum nomen in gratia“ (i. e. gratiosum) et Act. in Uerr. pr. § 51: „cum populo R. in laude et gratia esse“; nam solus ablatiuus uix poterit defendi.

XII, 10, 11 addito uno nomine scribendum uidetur: „mediam illam formam (eloquentiae) teneant L. Crassus, *M. Antonius*, Q. Hortensius“; neque enim ueri simile est Quintilianum uirum eloquentissimum L. Crassi aequalem praeteriisse.

XII, 10, 26 scribitur: „ita nunc, si quis ad eas Demosthenis uirtutes, quas ille summus orator habuit, tamen quae defuisse ei siue ipsius natura seu lege ciuitatis (cfr. II, 16, 4) uidentur, adiecerit, ut adfectus concitatius moueat, audiam . . .“; sed scribendum est „*uidetur*“, cum hanc unam uirtutem adfectus mouendi significari adpareat.

XII, 10, 46 scripsit Halmius: „ad cuius (i. e. Ciceronis) uoluptates nihil equidem quod addi possit inuenio, nisi ut sensus nos quidem dicamus pluris; neque enim fieri potest salua tractatione causae et dicendi auctoritate, si nimium crebra haec lumina et continua fuerint et inuicem offecerint“. Uerum illa sententia, quae a „neque enim“ incipit, quamuis per se rectissima sit, tamen non recte praecedentibus subiungitur; nam, cum hanc negatiuam habeat formam, eiusmodi sententiae adiungenda erat, qua nimius horum luminum usus uetaretur; nunc uero ei adiungitur, qua Quintilianus hoc se tempori suo concessurum dicit, ut plures sensus dicat orator, quam olim consueuerant, ut parum apte subiungatur causa, cur nimius eorum usus uitandus sit. Id etiam Buttmannus uiderat, qui „non“ post „neque enim“ inseri uolebat, sed haec correctio parum felix est. In cod. G pro „nimium“, quod Halmio debetur, „non“ scribitur, quod olim uulgo abiciebant; sed mendum loci non huic uerbo inest. Unius litterae mutatione omnia recta fient; scribendum enim est: „*aeque* enim fieri potest salua ... auctoritate (scil.: ut sensus dicamus pluris), si non crebra haec lumina ... fuerint et inuicem offecerint“. (Paulo ante § 45 extr. scribi malim: „nam hoc ipso proderat, *quo placebat*“; imperfectum, quod olim edebatur, meo quidem iudicio parum recte Halmius codices secutus mutauit.) — § 48 sine dubio scribendum est: „ceterum hoc, quod uulgo sententias uocamus, quod ... fuit ..., dum rem *contingat* et copia non *redundet* et ad uictoriam *spectet*, quis utile neget?“ Nam pluralis numerus in illis uerbis ferri uix potest, cum „utile“ sequatur, et si „utiles esse“ cum Halmio scribimus, intolerabilis meo iudicio fit structurae mutatio. In iis demum, quae sequuntur, recte pluralis ponitur.

XII, 10, 51 uulgo editur: „mihi unum atque idem uidetur bene dicere ac bene scribere, neque aliud esse oratio scripta quam monumentum actionis habitae. Itaque nullas non, ut opinor, debet habere uirtutes". Sed hic quoque postrema sententia per se uerissima est, nec tamen ullo modo intellego, quomodo in hac disputationis serie conueniat ceterisque adiungi possit; immo talem sententiam expectabam, qualis haec est: „Itaque easdem plane debet habere uirtutes", atque haec sententia ex iis elici potest, quae in cod. G scribuntur, in quo est: „itaque non illas modo, ut opinor, d. h. u."; sic enim, ni fallor, scripsit Quintilianus: „itaque non *alius modi* (scil. sed plane easdem), ut opinor, debet habere uirtutes". (§ 50 lacunam sic expleri debere credo: „praeterea in agendo plus *impetus* plerumque et petitas uel paulo licentius uoluptates *conuenire* (commouendos . . . imperitorum); at quod cet."; nam „ualere", quod Halmius addidit, propter alterius membri formam („esse oportere") parum aptum mihi uidetur.)

XII, 10, 55 Halmius e Woelfflini coniectura scripsit: „Quid? ergo semper sic aget orator, ut scribet? Si licebit, semper; si uero quando impediant breuitate tempora a iudice data, multum ex eo, quod oportuit dici, recidetur, editio habebit omnia". Ad sententiam hoc sane aptum est, sed et paulum offendit coniunctiuus „impediant" h. l., et ad scripturae uestigia, quae in cod. G seruata sunt, ubi scribitur: „si licebit semper steterunt quae impediant", propius accedere possumus scribendo: „Si licebit, semper; *sin erunt*, quae impediant breuitate, tempora a iudice data, multum cet.".

XII, 10, 59 in cod. G scriptura hoc latere uidetur: „itaque illo subtili (dicendi genere) praecipue ratio narrandi probandique consistet, *estque* (G: sed que) id etiam detractis ceteris uirtutibus suo genere plenum".

XII, 10, 66—67 sine dubio sic scribendum est: „ut inter gracile (= subtile) ualidumque (= robustum) tertium aliquid (= medium s. floridum) constitutum est, ita horum inter se interualla sunt atque *intra* (codd. „inter") haec ipsa mixtum quiddam ex duobus medium est eorum. *Iam* (codd. „nam") et subtili plenius aliquid atque subtilius et uehementi remissius atque uehementius inuenitur, ut (fort. *et*) illud lene (= floridum; cfr. § 59) aut adscendit ad fortiora aut ad tenuiora (malim: *leniora*) summittitur". Necessario scribendum est *iam* pro „nam", cum adpareat id, quod est subtili subtilius, et id, quod uehementius uehementi est, intra interualla sita esse non posse. — § 72 necessario scribendum est: „sic fiet cum id ..., tum *ut* laudem quoque ... consequatur"; atque id iam Buttmannus uiderat, ut mirer Halmium hoc etiam in notis praetermisisse.

XII, 11, 12 sine dubio scribendum est: „longam *illam* (G: ineā) facit operam, quod repugnamus"; nam particula „enim", quam uulgo h. l. ponunt, totiens iterata offendit atque hic ne apta quidem est. (§ 10 uerum est, quod scribitur: „qui primum renuntient sibi", pro quo Halmius „repraesentent" coniecit; cfr. Senec. de const. sap. 10, 3; ad Polyb. 6, 1.)

XII, 11, 16, cum fere adpareat respici ea, quae § 9 scribuntur: „tot artibus in pueritia discendis morum quoque praecepta et scientiam iuris ciuilis praeter ea, quae de eloquentia tradebantur, adiecerim", uix dubitari potest, quin sic scribendum sit: „Quod non eo dico, *quia* (sic uulgo; G: „qua"; Halmius parum recte „quasi" post „eo") sit umquam omittenda dicendi exercitatio, sed quia non in una sit eius specie consenescendum. *Ius ciuile* (om. G in rasura 8—9 litterarum: „res uarias" Halmius suppleuit, sed „rerum cognitio" § 17 demum commemora-

tur) cognoscere et praecepta uiuendi (= morum praecepta) perdiscere et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus (i. e. dum in scholis tempus declamitando terimus, § 15). *Dicendi* ratio (codd. „discendi", sed significantur „ea, quae de eloquentia tradebantur") talis, ut non multos poscat annos; quaelibet enim ex iis *partibus* (sic uere codd.; significantur inuentio, dispositio, elocutio, cetera; uulgo „artibus" edunt, eas artes significari rati, quae in pueritia discendae sunt; sed de illa puerili institutione Quintilianus hic omnino non potest loqui), quarum habui mentionem, in paucos libros contrahi solet" (ut ne ad haec quidem eloquentiae praecepta perdiscenda longo tempore sit opus). — § 17 necessario sic interpungendum est: „rerum cognitio cotidie crescit, et tamen quam multorum ad eam librorum necessaria lectio est ..., si utilia uelimus legere, non ... omnia?" Nam certe, si utilibus contenti esse uoluerimus, non multos libros legere opus erit, atque id agere debet Quintilianus, ut ostendat laborem re uera non ita magnum esse, ut multorum annorum spatio ad omnia discenda opus sit. Nam inde sequitur, ut immerito de temporis breuitate querantur homines, quasi non ad hunc laborem peragendum sufficiat; tempus enim breue non est, sed breue nobis ipsi facimus. Sed Bonnellus fortasse idem uidit, quamquam is non interrogationibus solum, qualis haec est, sed etiam exclamationibus interrogandi signum adponere solet.

XII, 11, 18 ex cod. G uestigiis: „multae eam libidinum et uinum et flagitiis omni genere uoluptatum animis" potius hoc fecerim: „*multam* (cfr. Bonnelli lex. Quint. s. u. „multus" I a)) *etiam libidinem* et uinum et *lacessitis* ... animis".

XII, 11, 21 ualde miror placuisse Halmio Bonnelli inuentum: „inlusisse tot malis ... Gorgiam"; nam primum

haec sententia ab hac disputatione alienissima est, deinde orationis formam intolerabiliter turbat, cum paene etiam caeco adparere debeat apodosin inde a uerbis „quae tandem ars digna cet." incipere. Suspicor Quintilianum sic scripsisse: „Ceterum, ut de Homero taceam . . .; ut Eleum Hippiam transeam, qui . . . ita se praepaıauit, ne cuius alterius *opera* egeret (G: „operegeret" pro „operęgeret"), *et* (scil. transeam) *inlustrem* (G. inlusire) tot *litteris* (?), quot summa senectus habet, *si* (om. codd.) uniuersae Graeciae credimus, Gorgiam, qui *quaerere* (G. „quaere"; Halmius „quaeri", quod quomodo defensurus sit, nescio) auditores, de quo quisque uellet, iubebat: quae tandem ars digna litteris *Platonis* defuit?" Uerbum „litteris", quod adieci, cum G h. l. rasuram habeat, incertum esse concedo; sed et cum ceteris bene conuenit, et consentaneum est summam senectutem, praesertim in eiusmodi homine, plurimas litteras habere (cfr. etiam cap. 4, 2). Genetiuus „Platonis", qui in codd. est, sine dubio seruandus est, ut „digna" absolute positum putetur (cfr. XII. 6, 7). — § 22 scribendum est addita particula: „*Et* (= et tamen) illis haec inuenienda fuerunt".

XII, 11, 27 scribitur: „Quin immo, si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, ii ipsi, qui sunt optimi, non fuissent, nec post Lucretium ac Macrum Uergilius nec post Crassum et Hortensium Cicero, sed nec illi, qui post eos fuerunt. Uerum, ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi". Hic quamquam prima sententia in uoce „Cicero" finiri uidetur, tamen aliquo modo intellegere possum, quomodo illa uerba „sed nec . . . fuerunt" praecedentibus adiungi potuerint; sed quo uinculo ea, quae deinde sequuntur, cum illis cohaereant, non intellego. Uerum illa uerba: „sed nec . . . fuerunt" incertissima

auctoritate nituntur, cum in cod. A m. 2 in rasura scripta sint; in G est: „sed nec illi post eos uicerunt". Ex hoc faciendum uidetur: „. . . nec post Crassum et Hortensium Cicero. „Sed nec *ulli* post (aduerb.) eos uicerunt." (Sic desperandum esse uidetur, ultra eos licere homini progredi, nedum ad summam perfectionem peruenire; haec Quintilianus aduersarium sibi obicientem fingit, deinde respondet:) Uerum, ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi". — § 28 s. f. lacunam sic explendam puto: „alioqui pessime de rebus humanis perductae in summum artes mererentur, si, quod optimum fuisset, *efficerent, ut idem ultimum esset*".

V.

Textkritiske Bemærkninger

til

Plautus's Komedier.

Af

Sophus Bugge,

Professor ved Universitetet i Kristiania.

Casina.

II, 6, 61—63. „Praé metu, ubi sim, néscio.

Périi! cor lienósum, opinor, hábeo: iamdudúm salit.

Dé labore péctus tundit.“

Her kan „de“ vistnok ikke være rigtigt. Hos Plautus bruges „de“, hvor der er Tale om noget ydre, som efterlader en Virkning eller leder til en Erkjendelse: „mihi de uento miserae condoluit caput; pugnae de illius ore fiunt sordidae; de odore scit me adesse; de signis agnoscere“. Men derimod bruger Plautus ikke (bortseet fra det faste Udtryk „de industria“) „de“, hvor der maa tænkes paa en hos vedkommende Person liggende Grund, paa en indre Kilde til en Virksomhed. Derfor har ogsaa Geppert udgivet „Prae labore“. Jeg foreslaar: „*É labore* péctus tundit“. Samme Brug af Præpositionen har vi f. Ex. Cas. II, 6, 9: „Fódico corculum: ádsudascit iam éx metu.“ Mit Forslag støttes maaské ved en Glosse hos Placidus

(Mai. Class. auct. III, 460; ed. Deuerling 41.1), som sandsynlig bør læses: „*É labore* animi figurate pro animi dolore“ (Haandskrr. har „pro animi labore“, som Udgiverne beholde, eller „pro animo laboro“). Jeg formoder, at denne Glosse gjælder det her omhandlede Sted af Casina. Rigtignok staar „animi“ ikke hos Plautus; men Placidus binder sig ved sine Citater ikke altid strængt til vedkommende Forfatters Ord.

Menaechmi.

I, 2, 43 f. „Oculum ecfodito *péssulo*

Míhi, Menaechme, si úllum uerbum fáxo, nisi quod iússeris.“

„Pessulo“ har Madvig (Adversaria II, 7) og Hoppe (Fleckeisens Jahrbücher 1873 S. 244) indsat for Haandskrifternes „persolum“. Uagtet denne Rettelse efter det, som er anført for den, synes mig utvivlsomt rigtig, kan den mulig bringes til endnu større Evidents ved Betragtning af de Former af „pessulus“, som findes i Haandskrifter fra Middelalderen: „Persulum: pesclum“ Gloss. Vat. ap. Mai. Class. auct. VI, 539. „Oppersolatis: clausis a pessulis dictum“ Gloss. Ampl. S. 358 No. 52. „Opersolatio“ (læs: „Oppersolatis“): „clusis. a persolis dictum“ Gloss. Isid. ed. Vulc. 688,59.

Mercator.

II, 2, 14. Lys. „Di mélius faxint.“ Dem. „Di hóc quidem faciánt.“ Lys. „Quid est?“ Conjunctiven „faciant“ er optaget efter CD; men ved denne Læsemaade venter man „istuc“, ikke „hoc“. Maaské derfor snarere med B: „Di hóc quidem *faciúnt*.“ Til Lysimachus's Ønske „Guderne bedre det for dig!“ ytrer den gamle forelskede Nar „Ak! det er Guderne som volde min Lidelse.“ Ved

„Guderne" tænker han da særlig paa Cupido; jfr. Persa I, 1, 26: „deisne aduorser quasi Titani?" Ved „hoc" forstaar jeg „min nuværende pinefulde Tilstand".

II, 2, 48 f. „Humánum amarest, húmanum autem ignóscerest.
* * * * atque . . . . ulum.
Ne sís me obiurga: hoc nón uoluntas me ínpulit."

Ritschl bemærker til V. 48: „Hunc v. cum talem, qualem supra servavi, BCDFZ exhibeant . . ., A autem talem: HUMANUMAMARESTATQ·IDUTIO....\ C/.ULUM in promptu est de elapso, ut aliis exemplis simillimis, versiculo cogitare, cuius exitus cum priore coaluerit in A." Denne Formodning synes mig ganske rigtig; derimod kan jeg ikke dele Ritschls Opfatning, naar han fremdeles ytrer: „Qui fortasse non Demiphonis fuit, sed Lysimachi". I Palimpsestens halvudslettede Træk, som Ritschl giver dem, søger jeg: ATQ· IDUTPOTESTINCANULUM. Det hele skriver jeg saaledes:

„Humánum amarest, húmanum autem ignóscerest.
[Iam quód ego amo] atque id út potest, incánulum
Ne sís me obiurga."

Ligheden mellem „amarest" og „amo" gav Anledning til, at Skriveren af Ambr. sprang over to halve Vers. For „atque id" jfr. „atque id sine malo" Amph. II, 2, 110; „atque id nunc facis haud consuetudine" Trin. II, 2, 83, o. s. v., se Ballas Gramm. Plaut. 37. For „ut potest" jfr. „Ut pótis est, ignaui hómines satis recté monent" Rud. III, 5, 49. Ellers forekommer ikke Deminutiv af „incanus". Jfr. Merc. II, 2, 34 f. Lys. „Tun cápite cano amás, homo nequíssume?" Dem. „Si cánum, sei istuc rútilum siue atrúmst, amo."

II, 4, 22. Eut. „Tánti quanti póscit, uin tanti íllam emi?" Char. „Auctárium
Ádicito."

Pareus har, for at undgaa Hiatus, indsat et „Immo“ foran „auctarium“, og dette tiltalende Tillæg er optaget af Ritschl og Müller Prosodie 638. Men istedenfor „Auctarium“, der ikke alene staar i BCD, men ogsaa i Haandskrifterne af Paul. epit. Fest. 14, har Palimpsesten efter EMI og efter det aabne Rum, som betegner, at en ny Replik begynder, AUCTORARIUM, hvorom Ritschl bemærker „quod defendere nescio“. Jeg sér deri et forvansket Spor af det oprindelige:

Eut. „Tánti quanti póscit, uin tanti íllam emi?“ Char.
„*Auctuárium*
Adicito.“

„Auctuarium“ er regelret dannet af Substantivet „auctus“; jfr. „aestuarium, actuarius, fructuarius“, o. s. v., o. s. v. Man finder Exempler paa, at „u“ i saadanne Ord senere blev trængt ud; saaledes skrev man i Middelalderen „saltarius“ for „saltuarius“. Jeg tror derfor at være berettiget til at optage Formen „auctuarium“, skjønt jeg ellers ikke kan paavise den. Rigtignok findes i Onomasticon vocum Latino-Graecarum ed. Vulcanius Lugd. Bat. MDC p. 15 „auctuarium“, ἐπίμετρον. Men Loewe har i Acta soc. philol. Lips. tom. IV p. 365 vist, at dette Onomasticon er fra 16de Aarhundrede, hvorved de opførte Ord tabe enhver Autoritet. Hvorfra Forfatteren af dette Onomasticon har hentet Formen „auctuarium“, ved jeg ikke. I V. 22 bør det vel, som i V. 23, hede „poscet“.

III, 1, 24. „*docta* didici“, som Haandskrifterne har, er vist det rette: jeg har modtaget Undervisning, og denne har ikke været spildt paa mig. Udgiverne forandre „docta“.

IV, 1, 8. „et *eódem* accedit sérvitus.“ Ritschl har forandret „eodem“ til „eo iam“, men Haandskrifternes Læsemaade støttes ved Ter. Hecyra prol. alt. 26: „funambuli eodem accessit expectatio“.

IV, 1, 11. (Dor.) „Da sáne hanc uirgam laúri.“ Sy. „En.“ Dor. „Abi iam tu íntro.“ Sy. „Eo.“ Ordet „en“

findes ikke i Haandskrr., og denne Form er jo nu godtgjort at være uplautinsk. Jeg læser: „Da sáne hanc uirgam laúri.“ Sy. „*Do.*“ Dor. „Abi“ o. s. v. „Do“ faldt sandsynlig bort, fordi det af en Skriver blev misforstaaet som Personbetegnelse; hermed staar maaské ogsaa den feilagtige Fordeling af Replikkerne i Haandskrr. (Syra. „Da ... intro.“ Dorippa „Eo“) i Forbindelse.

IV, 1, 17. Sy. „Doríppa, mea Doríppa.“ Dor. „Quid uis, óbsecro?“

Dette har Ritschl indsat for Haandskrifternes „Quid clamas obsecro“. Jeg formoder: „Quid *clamás, Syra?*“ Nævnelsen af Navnet „Syra“ er her særlig passende, da den gamle Tjenestekvinde har raabt sin Frues Navn.

Nominativ finde vi, med en enkelt række af undtagelser, i det hele så korrekt anvendt, at vi ere berettigede til at slutte, at denne kasus endnu stedse må have været i levende brug. Thi når vi finde f. ex. *quale est oleo irino et nardino*, p. $9,_2$, da er dette ikke noget exempel på brug af „ablativus pro nominativo“; men det er former, der slutte sig umiddelbart til udtalen, som ingen forskel mere gjorde på endelserne *-um* og *-o*. Og når vi finde akkusativ brugt i stedet for nominativ i forbindelse med et gerundiv, f. ex. *veram tertianam humectare et infrigdare oportet et humorem . . . evacuandus est, ventrem autem molli clystere educere* 12, 11, eller: *absos purpuræ siccos et calidos . . . sunt ventri superinponendi* $10,_8$, da beror dette, som det tydelig fremgår af det förste exempel, på vanskeligheden i at håndtere gerundiv, der ikke mere var i levende brug og derfor i sin konstruktion bestandig sammenblandes med andre ensbetydende udtryksmåder. Kun én række af virkelige undtagelser gives der; det er nom. plur. af ord på *-a*, der overordentlig ofte udtrykkes ved akkus. på *-as*, og det ikke blot ved gerundiv, f. ex. *aquas coquendæ sunt* 5, 9; *lanas sunt superinponendas*, 10, 7, men også ellers, f. ex. *ptysanas, cocurbitas elixas . . . humectant* 1, 4. At dette ikke er en tilfældighed, men at der for denne ene forms vedkommende virkelig må have været i det mindste en vaklen tilstede i sproget, fremgår af, at gml. fransk og provençalsk netop i dette tilfælde have tabt nom. og gjort den oprindelige

akkus. til eneste pluralisform, f. ex. prov. *rosa* pl. *rosas*, gml. fr. *rose* pl. *roses*.

Anderledes forholder det sig med casus obliqui, navnlig akkusativ, dativ og ablativ. Den gennemgående forvirring, der hersker i betegnelsen af disse tre kasus, kan ikke forklares uden ved at antage, at de allerede på denne tid må være faldne helt sammen til én enkelt casus obliquus ligesom på gml. fransk og provençalsk. Denne casus obl. må i sing. have endt henholdsvis på *a*, *o* og *e* eller i enkelte tilfælde på en konsonant (*-en*, *-us*) og være opstået af akkus. eller rettere ved et slags kompromis imellem de forskellige kasus[1]; i pluralis er den umiddelbart udgået fra akkus. med endelserne *as*, *os*, *es* samt *a*. Hvorledes denne sammenblanding fra först af er opstået, er det ikke her stedet til nærmere at påvise. I skrift udtrykkes denne casus obl. snart ved akkusativ, hvor dog det udlydende *m* for længst havde ophørt at udtales, snart tilsyneladende ved ablativ sing. Således forstå vi, at man kan skrive f. ex. *abstinendi sunt* (sml. ovf. om gerundiv) *a mel et senape et salsamenta et acria omnia et a vino vetus* 12,21; *contra natura* 11,14; *panem frigidum infundis in aqua calida* 2,32; *ut una emina hordei in dece eminas aquæ coquatur* 2,7; *ab omnibus civus* (grafisk for *cibos*) *est abstinendus* 3,26; *cum semen* 2,13; *quodsi (urina) floccos in sedimen habeat* 7,21; *nocit* (d. v. s. *nocet*) *hanc passionem* 9,6; *inunctio fronti et tempora et nares* 21,22; *utantur et salsamenta et senape* 13,16; *coctas in aqua radices apii et anetum* (= abl. consequ.) *ipsa aqua potui danda est* 12,13. Undertiden forekommer der også exempler på fejl i modsat retning, urigtig anvendelse af de uddøde kasusformer, som

[1]) Sml. Schuchardt i Kuhns Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. XXII (N. F. II), s. 155 ff.

per successionibus 19, 8. Lignende exempler som de her anførte lade sig samle i massevis fra andre kilder fra denne periode. Hvor tidlig en sådan syntaktisk sammenblanding er begyndt i almuesproget, også i tilfælde, hvor der ikke umiddelbart fandt nogen lydlig kongruens sted, fremgår af, at vi i væggeindskrifter (*dipinti*) fra Pompeii allerede finde *cum sodales* (Corp. inscr. Lat. IV ed. Zangemeister 221), *cum discentes* (ibd. 275), *cum discentes suos* (ibd. 698), for ikke at tale om de mange exempler fra senere indskrifter, såsom *de sua omnia* (Rossi, Inscr. christ. urbis Romæ I, Romæ 1861, no. 288, år 380).

Som følge af denne sammenblanding blev det nødvendigt nærmere at præcisere forholdsbetegnelsen, som ikke mere fandt sit tilstrækkelige udtryk i selve kasusformen, ved anvendelse af forskellige præpositioner. Til betegnelse af dativsbegrebet tilbød sig præpositionen *ad*; dens anvendelse kan imidlertid ingenlunde altid have været følt som en nødvendighed, og i vort skrift forekommer der næppe noget exempel derpå[1]). Stærkest og tidligst føltes derimod trangen til en sådan præpositionel omskrivning ved den gamle ablativ; men dens mangeartede funktioner lode sig ikke så let samle under ét synspunkt. Således betegnes midlet navnlig ved præpositionerne *cum* eller *de* (*ad*, *per*), f. ex. *oportit spuma cum pinna tollere* 4, 3; *movenda est cum ferola nitida* 4, 4; *si cum oleo tepido perungueas corpus* 11, 20; *angustiantibus oportet cum spongea faciem de posca tepida fomentare* 21, 29; *de rafanis vomitus faciendus est* 14, 11; [*cum cocleari manducatur* Anthim. 92, 7;

[1]) Hermed kan sammenlignes, at det i provençalsk og gml. fransk lige indtil slutningen af 14de årh. ikke var nødvendigt at betegne dativforholdet ved nogen særlig partikel (*a*), om end anvendelsen af en sådan er nok så hyppig. Se Diez, Gramm. der Roman. Spr. III[3], s. 127.

ungatur de oleo aut de uncto (ital. *unto* fedt, tælle) ibd. 75, 18]. *De* finde vi på lignende måde i andre forbindelser i stedet for abl., såsom *de crudis humoribus repletus corpus* 19, 25; [*si* (*esox*) *de plures dies fuerit* (d. v. s. flere dage gammel) Anthim. 83, 10 i samme betydning som *si fuerint biduo aut triduo* ibd. 85, 13]. Efter en komparativ bruges ligeledes *de* eller *ab*, såsom *non est melior ab hæc* 4, 17; *hæc de omnibus sunt meliores* (superlativ?) 7, 26; *calidior plus a natura* 17, 11; om tiden bruges *in*, f. ex. *in eo ipso tempore cum de piscina exit*, *cum in savanis pausat* (fr. [*re*]*poser*) 11, 28; [sml. også *coquatur in una hora* Anth. 69, 13], o. s. v.

Hvad endelig genitiv angår, da må den sikkert endnu ved den her omhandlede tid have været i fuldstændig levende brug, og sproget har for så vidt stået på et mindre fremrykket trin af opløsning end provençalsk og gl. fransk, der begge have tabt den gamle genitiv og udtrykke den dels ligesom dativ (casus obl. med eller uden *a*) dels ved præpositionen *de*[1]). Den förstnævnte udtryksmåde spores meget almindelig i lidt senere latinske kilder, f. ex. *hic requiescunt menbra ad duus fratres, Gallo et Fidencio, qui foerunt fili Magno* (Le Blant, Inscr. chrétiennes de la Gaule, no. 378, 6te årh.), men endnu hos Orib. træffe vi næppe noget exempel derpå; thi udtryk som *mittis* (fr. *mettre*) *et modicum sale* (jvf. *sal mittatur modicum*, men også *modicum de sale pro sapore faciendo* Anth.) ere af helt anden art og bero på en udvidet anvendelse af appositionsforholdet. Derimod mærker man tydeligt, at præpositionen *de* mere og mere fortrænger den blotte genitiv, navnlig i alle partitive forhold eller hvor talen er om oprindelse o. lign., f. ex. *de pane partem interiorem* 2, 33; *alfita de hordeo fricta* 2, 10;

---

[1]) Sml. Diez, Gramm. III, s. 138 ff.

signa de febribus 10, 27; [*alas de pullo* Galen. ep. 23, 11; *medietatem* (fr. *moitié*) *de aceto* Anth. 69, 14; *carnes de hinnuleis et de capreolis* ibd. 71, 7; *de medo bene facto multum iuvat* ibd. 75, 4 (sml. fr. delingsartikel)].

Endnu et par ord om de grammatiske kön, af hvilke de romanske sprog som bekendt have tabt neutrum. For enkelte ords vedkommende, der i det klassiske sprog ere neutrum, træffe vi allerede tidlig sideformer af mask., der særlig synes at være folkelige[1]). I vort foreliggende skrift er dette ikke mere indskrænket til enkelte ord, men vi træffe en gennemgående tendens til at forandre neutr. sing. til mask., medens der ellers ikke finder nogen sammenblanding af de forskellige kön sted. Vi finde således f. ex. i nom. *necessarius est eis et aquosus et albus vinus* 20, 17 (ligeså 3, 23; 7, 14; 9, 24. 25; *vinum dandus est* 9, 19, sml. ovf. s. 261; *vinus* findes allerede hos Petronius); *contrarius est eis balneus* 19, 31 (15, 27; ligeså hos Petronius); *hordeus* 2, 7; *diaforeticum oleum uteris, qualis Sycionius oleus et camimelinus* 18, 31 (1, 15; 8, 28); *quando medius tempus est* 16, 27; *si tempus siccus fuerit* 17, 30; *de crudis humoribus repletus corpus sine spe est infirmus* 19, 25 (8, 20); *infundendus est caput* 8, 30; *id quod expuunt, est lenis et albus et æqualis* 8, 8. Udenfor nominativ træffe vi f. ex. *neque medicamen aliquo* (sml. fr. *aucun*) *fortiore eis dare oportet* 13, 9; *oleum veterem* 18, 33; *qui lactem potaturus est* 3, 26 (*lactem* også hos Petronius o. a.); men af dette ord dannes så atter en ny nom. sing. *lactes* eller *lactis*[2]), der hos Orib. mærkelig nok behandles som fem., f. ex. *coquenda est lactes* 4, 1; *tota lactis* 4, 5; *lactis ipsa* 4, 6 (hos Anth. derimod f. ex. i plur. *lactes caprini* 91, 1). Denne ejendommelige brug

[1]) Sml. Neue, Formenlehre der latein. Sprache I, s. 549 ff.

[2]) Sml. *boves, pedes, dentes* o. lign. nom. sing. i andre middelalderlige skrifter (= gml. fr. nom. sing. *buefs, piez, denz*).

stemmer med provençalsk, hvor *lait*, nom. *laitz*, kan være fem., ligesom det tilsvarende ord er på spansk (*la leche*)[1]), og kunde derfor måske synes at vise hen til Sydgallien som tilblivelsesstedet for den foreliggende oversættelse.

I plur. ere maskulinumsformerne sjældnere (*cerebellos porcinos* 20, 17). I regelen beholdes her endnu formerne på *-a*, hvoraf i de romanske sprog nu kun ruiner ere tilbage; men disse behandles da særdeles ofte som plur. fem., f. ex. *quascumque penetraverit loca, id est quæ apertæ sunt* 4, 25; *corporis membra, quas Greci stereas vocant* 14, 15; *signa quas* .... 14, 23; *alia quas usi sumus* 13, 24; *ova et maxime vitella ipsarum* 20, 16; (sml. også *dulces mela* [ital. *mela* æble] 3, 19; *molles folia* 3, 22 o. a.). Det er ganske det samme fænomen, som vi finde i italiensk; her er endnu et temmelig stort antal pluralisformer på *-a* i levende brug; men de behandles altid som plur. fem. (*le membra*)[2]).

Det er kun et specielt punkt, jeg her har behandlet med hensyn til et enkelt bestemt skrift. Men af disse bemærkninger vil det formentlig på den ene side fremgå, at, hvor barbarisk og ubehjælpsomt end den tidlige middelalders latinske skriftsprog er, er der dog altid en vis mening i selve de grammatiske barbarismer, idet disse mere eller mindre umiddelbart reflektere talesprogets former; på den anden side, at de væsentligste ejendommeligheder, der karakterisere de romanske sprog i modsætning til latinen, allerede ved overgangen fra oldtiden til middelalderen vare tilstede i talesproget i det mindste i fyldigt udviklede spirer.

[1]) Diez, Gramm. II, s. 22.
[2]) smst. II, s. 29 f.

X.

De colonis (agricolis) disputatio.

Scripsit

H. M. Gemzøe,

præceptor scholæ Randrusiensis.

Coloni vocabulum eum proprie significat, qui in agris colendis versatur, ita ut per se nihil aliud sit quam agricola, quo sensu ponitur apud Catonem de re rust. prooem. (I p. 9 ed. Bip. script. rei rust.): „Et virum bonum quum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum", et 1, 4 (I p. 10 Bip.): „De domino bono colono bonoque ædificatore melius emetur", et apud Varronem de re rust. II, præf. 5 (I p. 155 Bip.): „Alia, inquam, ratio ac scientia coloni, alia pastoris: coloni, ut ea, quæ in agri cultura nascantur e terra, fructum faciant, contra pastoris, ut ea, quæ nata ex pecore", ubi ii significantur agricolæ, qui in agris colendis versabantur, et contrarii ponuntur iis, qui pascua saltusque possidentes aut conducentes rem pecuariam exercebant; nam hi sunt pastores.[1])

[1]) Huc etiam pertinere videtur Varr. de lingu. Lat. V,21 (p. 9 Müll.): „Terra dicta ab eo, ut Ælius scribit, quod teritur; itaque terra in augurum libris scriptum cum R uno. Ab eo colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, territorium, quod maxime teritur." An significantur incolæ coloniarum? — Ceterum eodem sensu vulgo ponitur hoc vocabulum inde ab aurea litterarum Romanarum ætate per totum certe primum p. Chr. n. sæculum.

Sed extremo liberæ rei publicæ tempore, quum ex prædiis minoribus iunctis latifundia fierent, rarius fiebat ut dominus ipse per servos suos agrum coleret[1]), sed sensim mos increbruisse videtur, ut domini prædiorum agros colendos ita locarent, ut redemptor annuam præstans pensionem fruges ipse colligeret et retineret. Hi redemptores coloni (*forpagtere*) appellabantur, de quorum iure et condicione hæc memoriæ tradidit Columella de re rust. I, 7 (II p. 43 Bip.): „His omnibus ita vel acceptis vel compositis, præcipua cura domini requiritur quum in ceteris rebus tum maxime in hominibus. Atque hi vel coloni vel servi sunt, aut soluti aut vincti. Comiter agat cum colonis facilemque se præbeat; avarius opus exigat quam pensiones, quoniam et id minus offendit et tamen in universum magis prodest. Nam ubi sedulo colitur ager, plerumque compendium, nunquam, nisi si cæli maior vis aut prædonis incessit, detrimentum affert, eoque remissionem colonus petere non audet. Sed nec dominus in unaquaque re, cui colonum obligaverit, tenax esse iuris sui debet, sicut in diebus pecuniarum, in lignis et ceteris parvis accessionibus exigendis, quarum cura maiorem molestiam quam impensam rusticis affert. Nec sane est vindicandum nobis, quicquid licet; nam summum ius antiqui summam putabant crucem; nec rursus in totum remittendum, quoniam vel optima nomina non appellando fiunt mala. — Veterem consularem

---

[1]) Varr. de re rust. I,17,2. Colum. de re rust. I,2 (II p. 27 Bip.): „Censeo igitur, in propinquo agrum mercari, quo et frequenter dominus veniat, et frequentius se venturum, quam sit venturus, denuntiet. Sub hoc enim metu cum familia villicus erit in officio. Quicquid vero dabitur occasionis, ruri moretur, quæ non sit mora segnis nec umbratilis. Nam diligentem patremfamilias decet agri sui particulas omnes et omni tempore anni frequentius circumire, quo prudentius naturam soli sive in frondibus et herbis sive iam maturis frugibus contempletur, nec ignoret, quicquid in eo recte fieri poterit."

virumque opulentissimum L. Volusium asseverantem audivi, patrisfamilias felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet et tanquam in paterna possessione natos iam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. Ita certe mea fert opinio, rem malam esse frequentem locationem fundi; peiorem tamen urbanum colonum, qui per familiam mavult agrum quam per se colere. Saserna dicebat, ab eiusmodi homine fere pro mercede litem reddi; propter quod operam dandam esse, ut et rusticos et eosdem assiduos colonos retineamus, quum aut nobismet ipsis non licuerit aut per domesticos colere non expedierit.“ Sed iam extremo liberæ rei publicæ tempore hoc, ut dixi, institutum esse, ea res docet, quod, quum Catoni redemptores agrorum ignoti fuisse videantur (neque enim ullam eorum in libro de re rustica mentionem fecit), commemorantur a Varrone[1]), a Cicerone pro Cæcin. 94: „Qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum“, a Cæsare de bell. civil. I, 34, 2: „Profectum Domitium ad occupandam Massiliam navibus, quas servis, libertis, colonis suis compleverat“. Ciceronis tempore Arpinum municipium prædia in Gallia provincia habuit, quæ redemptoribus locabantur, v. Epist. ad fam. XIII, 11, 1: „Quorum (Arpinatium) quidem omnia commoda omnesque facultates, quibus et sacra conficere et sarta tecta ædium sacrarum locorumque communium tueri possint, consistunt in iis vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. Ad ea visenda pecuniasque, quæ a colonis debentur, exigendas totamque rem et cognoscendam et administrandam legatos equites Romanos misimus.“ [2]) Primo p. Chr. n. sæculo hoc institutum commemorarunt Lucanus

---

[1]) de re rust. I,2,17 (I p. 96 Bip.). II,3, 7 (I p. 172 Bip.).

[2]) Male in hac re laudatur Cic. de orat. II,287: „Quum optimus colonus esset“ (C. Antistius Pyrgensis); nam hic aperte significatur incola coloniæ (Madv. Opusc. Acad. I p. 265).

Phars. I, 170: „Longa sub ignotis extendere rura colonis", Seneca de tranquill. an. 8, 5: „Quod illis nec prædia nec horti sint nec alieno colono rura pretiosa nec grande in foro fenus", Epist. 88, 12: „Paterno agro et avito, inquit, expellor. Quid? Ante avum tuum quis istum agrum tenuit? Cuius, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? Non dominus isto, sed colonus intrasti. Cuius colonus es? Si bene tecum agitur, heredis", ibid. 123, 2: „Non habet panem meus pistor, sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus", Plinius Epist. VII, 30, 3: „Instat et necessitas agrorum locandorum perquam molesta; adeo rarum est invenire idoneos conductores", IX, 36, 6: „Venor aliquando, sed non sine pugillaribus, ut, quamvis nihil ceperim, non nihil referam. Datur et colonis, ut videtur ipsis, non satis temporis, quorum mihi agrestes querellæ litteras nostras et hæc urbana opera commendant." Plinius quum præfecturam ærarii gereret, ab imperatore commeatum in mensem Septembrem petens hæc scribit X, 8, 5: „Agrorum enim, quos in eadem regione possideo, locatio adeo non potest differri, ut proximam putationem novus colonus facere debeat." Fundum ita locatum coloniam appellat Columella de re rust. XI, 1, 23 (II p. 419 Bip.): „Neque enim coloniæ suæ terminos egredi debet (villicus)." Etiam extremo antiquitatis tempore hoc institutum servatum esse, ostendunt versus Claudiani, qui sunt in Eutrop. II, 205:

„Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria, concessoque cupit vixisse colonus
Quam dominus rapto."

Interdum tamen ita locabantur agri, ut fruges domini essent, redemptor certam earum partem laboris mercedem acciperet, ad quam rem illustrandam aptissimus est locus

Plinii Epist. IX, 37, 1: „Præsertim quum me necessitas locandorum prædiorum plures annos ordinatura detineat, in qua mihi nova consilia sumenda sunt. Nam priore lustro, quamquam post magnas remissiones[1]), reliqua[2]) creverunt; inde plerisque nulla iam cura minuendi æris alieni, quod desperant posse persolvi, rapiunt etiam consumuntque, quod natum est, ut qui iam putent, se non sibi parcere. Occurrendum igitur augescentibus vitiis et medendum est; medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem ac deinde ex meis aliquos operis exactores custodes fructibus ponam.“ Talis redemptor, quocum non modo lucrum, verum etiam damnum partiebatur dominus, politor[3]) vel partiarius[4]) appellabatur, quod posterius vocabulum cum

---

[1]) Cfr. Colum. de re rust. I,7,2. In mentem mihi venit, redemptores agrorum fortasse significari a Cicerone de off. III,88: „Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi. Nimis mihi præfracte videbatur ærarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis; quum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus.“ Video equidem, enarratores intellegere incolas coloniarum addentes, his senatum pecuniam debitam remittere solitum esse, quum bellis aliisve calamitatibus debilitati essent, cuius rei quamquam nullum exemplum nunc memoria teneo, tamen non nego, hoc fieri potuisse; nam coloni si præter assignata etiam agrum publicum possidebant, pro eo pecuniam rei publicæ solvere debebant, ne de tributis dicam. Sed tamen minus apta mihi videtur comparatio publicanorum et eorum, qui in colonias iverant; multo aptius videntur inter se conferri duo redemptorum genera. Neque tamen fugit me, id fortasse meæ opinioni obstare, quod priore orationis membro (deberemus) pro subiecto intellegitur tota res publica, quum in mea sententia posteriore membro (soleremus) intellegerentur homines privati. Hanc igitur rem doctiorum examinationi subiicio.

[2]) Restancerne: Plin. Epist. III, 19, 6.

[3]) Dig. XVII, 2, 52, 2: „Si in coeunda societate, inquit (Celsus), artem operamve pollicitus est alter, veluti quum pecus in commune pascendum aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa præstanda est.“

[4]) Dig. XIX, 2, 25, 6: „Vis maior non debet conductori damnosa esse, si plus, quam tolerabile est, læsi fuerint fructus; alioquin

omnino significat, qui rem aliquam, velut hereditatem, cum aliquo partitur. [1]) Eadem ratione etiam pecus locabatur pascendum ita, ut redemptor partem fetus mercedem acciperet. [2])

Si quæritur, utra locationis forma antiquior fuerit, rei natura ita ferre videtur, ut putemus, initio agros ita locatos esse, ut dominus redemptori partem fructuum mercedem laboris daret, quæ ratio iam Solonis tempore apud Athenienses instituta fuisse videtur. [3]) Sed apud Romanos, si quidem silentio Catonis quidquam tribui potest, redemptio agrorum satis sero tempore instituta esse videtur, et iam extremi liberæ rei publicæ et primi imperatorum temporis scriptores [4]) ita hanc rem commemorant, ut appareat, tum usitatius fuisse, ut coloni pecuniam annuam penderent. Omnino ratio partibus locandi tribus modo illis locis com-

---

modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. Apparet autem, de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit; alioquin partiarius colonus quasi societatis iure et damnum et lucrum cum domino fundi partitur."

[1]) Inst. II, 23, 5: „Ille autem, qui ex fideicommisso recepit partem hereditatis, legatarii partiarii loco erat, id est eius legatarii, cui pars bonorum legabatur, quæ species legati partitio vocabatur, quia cum herede legatarius partiebatur hereditatem. Unde quæ solebant stipulationes inter heredem et partiarium legatarium interponi, eædem interponebantur inter eum, qui ex fideicommisso recepit hereditatem, et heredem, id est ut et lucrum et damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune esset."

[2]) Cod. II, 3, 8 (9): „Si pascenda pecora partiaria, id est, ut fetus eorum portionibus, quibus placuit, inter dominum et pastorem dividantur —." Cfr. Dig. XVII, 2, 52, 2.

[3]) Pollucis Onom. VII, 151: *Ἐπίμορτος γῆ παρὰ Σόλωνι ἡ ἐπὶ μέρει γεωργουμένη καὶ μορτὴ τὸ μέρος τῶν γεωργουμένων· τὸ δ' ἐπὶ τετάρτῳ μέρει νέμεσθαι* (cfr Cat. de re rust. 136) *τετραχίζειν*, et Hesych. s. v. *ἐπίμορτος· σπόριμος γῆ ἢ ἐπιμεριστή. λέγεται οὕτω καὶ ὁ μέρει ἐργαζόμενος* (= colonus partiarius). *μορτὴ γὰρ τὸ μέρος ἐκαλεῖτο καὶ ἑκτημόροι οἱ τὸ ἕκτον τελοῦντες.*

[4]) Cic. Epist. ad fam. XIII, 11, 1. Colum. de re rust. I, 7. Sen. de benef. VI, 4, 4. VII, 5, 2.

memoratur, quos iam posui[1]), e quibus primus et tertius eodem ducere videntur, quo ii, quos nuper laudavi. Statuendum igitur videtur, inde ab extremo liberæ rei publicæ tempore apud Romanos satis rarum fuisse, ut agri partibus locarentur. Hinc sequitur, ut, si ratio partibus locandi apud Romanos quoque antiquior fuerit, satis mature hoc institutum obsolesse putandum sit. Itaque in mentem venire poterat, apud Romanos rem contrario ordine excultam esse, quod quamquam propter ipsam rei naturam et condicionem minus veri simile videtur, tamen nescio an propter illam difficultatem statuere cogamur. Nonne cogitari potest, hoc institutum e Græcia illatum esse ibique tum rem ita explicatam fuisse, ut agri certa pecunia locarentur?

Sed, quod dixi, institutum agrorum locandorum a Catone non commemoratum esse, Marquardtus tamen, vir doctissimus, in eam sententiam inclinare videtur (Handb. der Röm. Alterth. V, 1, p. 143, ann. 748), rationem partibus locandi Catoni notam fuisse; postquam enim dixit, colonum partiarium etiam politorem appellatum esse, huius rei testimonium affert locum Catonis de re rust. 136. Sed fugit virum in his rebus eruditissimum, Catonis politorem et partiarium prorsus alius fuisse condicionis quam eum, quem significant Plinius et iurisconsulti. Fuit quidem uterque redemptor; id similitudinis inter eos intercedit; sed quum

---

[1]) Plin. Epist. IX, 37, 1. Dig. XVII, 2, 52, 2. XIX, 2, 25, 6. Uno præterea loco colonus partiarius significari videri poterat, Cic. pro Cæcin. 94: „Cæcina rationes a colono accepit." Nam si colonus Cæcinæ annuam penderet pecuniam, non rationes (*regnskab*), sed pensionem accepturus fuisse videri poterat Cæcina; sin autem partem fructuum accipere deberet colonus, rationes totius reditus fundi ei reddendæ fuisse videntur. Puto tamen, rationes ab aliquo accipere hoc loco nihil aliud esse quam rationem conferre cum aliquo (*gøre afregning med, gøre op med).* Ex Hor. Sat. II, 2, 114 nihil de hac re concludi posse, monuit me præceptor carissimus I. L. Ussingius, professor Hauniensis.

apud Plinium significetur redemptor totius prædii, rem diligentius scrutanti apparebit, Catoni politorem et partiarium nihil aliud fuisse quam redemptorem fructuum percipiendorum, segetis metendæ et exterendæ, uvæ et oleæ colligendæ et exprimendæ, quod Marquardtus ipse in ceteris Catonis locis, ubi partiarius nominatur, recte vidit.[1] Inspiciamus igitur locum illum de re rust. 136. Verba Catonis hæc sunt (I p. 64 Bip.): „Politionem quo pacto dari oporteat. In agro Casinate et Venafro in loco bono parte octava corbi[2] dividat, satis bono septima, tertio loco sexta; si granum modio dividet, parti quinta. In Venafro ager optimus nona parti corbi dividat. Si communiter pisunt[3], qua ex parte politori pars est, eam partem in pistrinum politori.“ Hic mihi igitur apparere videtur, ne quintam quidem nedum nonam partem frumenti satis mercedis esse ei, qui totum laborem non modo segetis metendæ et exterendæ, verum etiam agri arandi et omnino ad semen accipiendum parandi susceperit. Sed omnis dubitatio mihi tolli videtur alio loco Catonis, qui Marquardtum fugit, de re rust. 5 (I p. 14 Bip.); ubi villici officia in universum exponens hoc ei præcipit: „Operarium, mercenarium, politorem diutius eundem ne habeat die.“ Hic politorem totius fundi redemptorem intellegere non licet; significatur aperte is mercenarius, qui

---

[1]) Cat. de re rust. 144 (I p. 67 Bip.): „Oleam legendam hoc modo locare oportet. Oleam cogito recte omnem arbitratu domini, aut quem custodem fecerit, aut cui olea venierit.“ Talis custos partiario appositus significatur ibid. 66, ubi officia eius in torculario exponuntur, et 13 (I p. 20 Bip.), ubi inter ea, quæ ad torcularium opus sunt, nominatur „lectus stratus, ubi duo custodes liberi cubent et tertius servus una cum factoribus uti (ubi?) cubet.“

[2]) Spicas segetis secabant antiqui et corbibus ad aream deferebant. Iam dominus et politor aut spicas ante trituram aut grana opera politoris extrita et purgata inter se partiebantur. (Schneider.)

[3]) Id significat Cato, si collatis frugibus post divisionem in eodem pistrino molant, politori pro rata parte impensas molendi conferendas esse. (Shn.)

non certam pecuniam, sed partem frugis mercedem accipiat. Unus locus Marquardti sententiam defendere videtur, de re rust. 137 (I p. 65 Bip.): „Vineam curandam partiario bene curet, fundum, arbustum, agrum frumentarium. Partiario fœnum et pabulum, quod bubus satis sit, qui illic sint; cetera omnia pro indiviso.“ Sed hic difficultas aliqua inesse videtur in eo, quod fundus, quæ vox totum prædium vulgo significat, cuius partes sunt vinea, arbustum, ager frumentarius, miro modo inter reliqua nomina insertum est. Vereor ne hoc vocabulum depravatum sit; sed quid scripserit Cato, non video. An fundus quoque certum agri genus significare potest, velut pascua? Ceterum hic locus docet, politores etiam in agris arandis et ad semen accipiendum parandis adhibitos esse.

De ratione, quæ inter locatorem et redemptorem intercedebat, hoc primum animadvertendum est, pactionem inter eos fieri solitam esse, quæ tabellis consignaretur [1]), et pecus, familiam, instrumentum rusticum pro mercede pignori dedisse colonos [2]), quibus quum in agro colendo uterentur coloni, in possessionem domini venire non poterant. Itaque prætor quidam Salvius interdictum proposuit, quo domino fundi idem ius concessum est, quam si ab initio possessionem pignoris habuisset [3]), quod genus pignoris

[1]) Varr. de re rust. I, 2, 17. II, 3, 7. Sen. de benef. VI, 4, 4: „Colonum suum non tenet, quamvis tabellis manentibus, qui segetem eius proculcavit, qui succidit arbusta, non quia recepit, quod pepigerat, sed quia, ne reciperet, effecit!“

[2]) Plinius amicum quendam consulens, ematne prædium agris suis vicinum, hæc scribit Epist. III, 19, 6: „Sed hæc felicitas terræ imbecillis cultoribus fatigatur. Nam possessor prior sæpius vendidit pignora, et dum reliqua colonorum minuit ad tempus, tres in posterum exhausit, quarum defectione rursus reliqua creverunt.“

[3]) Gai. Inst. IV, 147: „Interdictum quoque, quod appellatur Salvianum, apiscendæ possessioni comparatum est, eoque utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset.“

proprie hypotheca appellatur. [1]) Longius progressus est Servius prætor, qui domino in rem actionem dedit. [2]) Ceterum certæ interdum condiciones aut præstanda redemptoribus imponebantur, veluti ne capras in fundo pascerent, quippe quæ arboribus nocerent [3]), ut ligna domino præberent [4]). Id etiam caveri poterat, ne prædium minus diligenter a redemptore coleretur. [5]) Contra Plinius quum prædium aliquod emere vellet, colonos propter severitatem prioris domini egenos etiam servis instruere cogitasse videtur. [6]) Ut apud nos fit, colonus usum habuisse videtur villæ, quæ in fundo conducto ædificata esset. [7])

Antequam huic disputationi finem facio, unum locum commemorabo, ubi coloni vocabulum ita positum est, ut

---

[1]) Dig. XIII, 7, 9, 2: „Proprie pignus dicimus, quod ad creditorem transit, hypothecam, quum non transit, nec possessio ad creditorem.“ Isid. Orig V, 25: „Depositum est pignus commendatum ad tempus quasi diu positum, hypotheca est, quum res aliqua commendatur sine depositione pignoris, pacto vel cautione sola interveniente.“

[2]) Inst. IV, 6, 7: „Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur.“

[3]) Varr. de re rust. I, 2, 17: „Leges colonicas tollis, in quibus scribimus: colonus in agro surculario (*planteskole*) ne capra natum pascat.“ Ibid. II, 3, 7: „Ob hoc in lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo pascat.“

[4]) Colum. de re rust. I, 7, 2.

[5]) Dig. XIX, 2, 51: „Ea lege fundum locavi, ut, si non ex lege coleretur, relocare eum mihi liceret, et quo minoris locassem, hoc mihi præstaretur; nec convenit, ut, si pluris locassem, hoc tibi præstaretur.“

[6]) Plin. Epist. III, 19, 7: „Sunt ergo instruendi eo pluris, quod frugi, mancipiis; nam nec ipse usquam vinctos habeo nec ibi quisquam.“

[7]) Sen. de benef. VII, 5, 2: „Nec mirum est, aliquid ei, cuius est totum, posse donari. Conduxi domum a te; in hac aliquid tuum est, aliquid meum; res tua est, usus rei tuæ meus est. Itaque nec fructus tanges colono tuo prohibente, quamvis tua in possessione nascantur, et si annona carior fuerit aut fames,

Heu frustra magnum alterius spectabis acervum,
in tuo natum, in tuo positum, in horrea iturum tua.“

pro mercenario dictum esse videri possit. Sed is locus singularem habet rationem. Est Senecæ in consol. ad Helv. 12, 5: „Atilius Regulus quum Pœnos in Africa funderet, ad senatum scripsit, mercenarium suum discessisse et ab eo desertum esse rus, quod senatui publice curari, dum abesset Regulus, placuit: fuitne tanti servum non habere, ut colonus eius populus Romanus esset?" Id primum dicam, mercenarium et servum hoc loco non eundem hominem intellegendum esse; constat enim, mercenarios semper liberos homines fuisse, qui operam suam mercede locarent, servi mercedem non accipiebant. [1]) Id igitur dicit Seneca, quum mercenarius discessisset, ne servum quidem habuisse Regulum, qui agrum coleret, quamobrem senatui placuisse, ut publice curaretur. Quamquam ab hac re æque abhorrere videtur notio mercenarii atque redemptoris, hoc tamen posteriore sensu Senecam hic quoque posuisse coloni vocabulum, veri simile fit ex loco quodam Valerii Maximi, qui sine dubio ex eodem fonte hausit, quod Seneca, fortasse e Livio. Is enim eandem rem pluribus verbis narrat IV, 4, 6 (p. 190, 4 Halm.): „Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nanctum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse, ideoque petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, unde uxor

---

[1]) Cic. de off. I, 41: „Est autem infima condicio et fortuna servorum, quibus non male præcipiunt qui ita iubent uti ut mercenariis: operam exigendam, iusta præbenda." Varr. de re rust. I, 17, 2: „Omnes agri coluntur hominibus servis aut liberis aut utrisque; liberis, aut quum ipsi colunt, ut plerique pauperculi cum sua progenie, aut mercenariis, quum conducticiis liberorum operis res maiores ut vindemias ac fœnificia administrant." Sen. de benef. III, 22, 1: „Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercenarius est; quemadmodum ille beneficium dat, ubi plus præstat, quam in quod operas locavit, sic servus."

ac liberi sui alerentur. Quæ postquam senatus a consulibus accepit, et agrum Atilii ilico colendum locari et alimenta coniugi eius ac liberis præberi resque, quas amiserat, redimi publice iussit.“ Rem exaggerans Seneca ipsum populum Romanum colonum appellavit. [1])

---

[1]) Apparet, hanc locationem prorsus extraordinariam fuisse, neque ex his locis concludi debere, iam primi belli Punici tempore apud Romanos institutum fuisse, ut prædia locarentur. Silentium Catonis in hac re sufficit. — Ceterum in hoc loco Valerii Maximi et eo, quem supra posui Catonis de re rust. 5, id miri inest, quod villicus servus hominibus liberis, politoribus et mercenariis, præpositus fuisse dici videtur, quod, quamquam extremo liberæ rei publicæ tempore villici condicio multo melior quam ceteræ familiæ et partes eius in prædio administrando satis magnæ fuisse videntur, tamen illo præsertim tempore factum esse, non possum non valde mirari.

XI.
Udvalgte Stykker af Hesiodos,

oversatte af

C. P. Christensen Schmidt,
forhen Collaboratör ved Flensborg Latin- og Realskole.

I. ZEUS.

(*ΘΕΟΓΟΝΙΑ* v. 453—506.)

Rhea, tagen af Kronos i Favn, bar herlige Børn ham:
Hestia samt Demeter og Hera, der træder paa Guldsaal,
Dertil Hades, den vældige Drot, som boer under Jorden
Gram i Hu, og Poseidon, den larmende Jordens Ryster,
Samt den raadvise Zeus, hiin Guders og Menneskers Fader,
Ham, hvis Torden faaer hele den vide Jord til at bæve.
Dem nedslugte nu een for een den mægtige Kronos,
Alt som af Moderens hellige Skjød til Lyset de bares,
Pønsende paa at ingen af Uranos' Ætlinger gjæve
Skulde blandt Guderne røve ham Magt og kongelig Ære.
Saa var ham nemlig af Gæa engang og den stjernebesaaede
Uranos sagt, at ham vented den Lod, af sin Søn at betvinges,
Ihvor stærk han end var, ved Zeus den mægtiges Raadkløgt;
Thi holdt ikke iblinde han Vagt, men agtende Tiden
Slugte de Smaae han, og Rhea var stedt i ulidelig Jammer.
Men da hun Zeus skulde føde, hiin Guders og Menneskers Fader,
Da bønfaldt hun paa Stand sin kjære Fader og Moder,
Gæa og Uranos, som med funklende Stjerner er prydet,
Hende at vide et Raad, at i Løn hun sit Barn maatte føde
Samt faae Hevn for den Tort, hendes Fader engang havde døiet
Og hendes Børn, som slugtes af Kronos, den snedige, stærke.

Og deres Datters Bøn de fornam og lød hende villigt,
Røbede for hende Alt, hvad om Kronos, den mægtige Konning,
Og om hans hugprude Søn ved Skjæbnens Raad var beskikket,
Bragte til Lyktos Gudinden, til Kretas frugtbare Vange,
Da hun sin yngste Søn, den høie Zeus, skulde føde,
Og af Moderens Haand modtog ham den vældige Gæa,
For ham paa Kretas vidtstrakte Ø at fostre og pleie.
Der den Spæde igjennem det hurtigtskridende Natmulm
Bar til Dikta hun først og med egne Hænder ham gjemte
Dybt i en Hule paa Fjeld, i Jordens hellige Lønskjul,
Hist paa Ægæons Bjerg, som tæt af Skove er krandset;
Men til Uranos' Søn, den fordums Konge blandt Guder,
Bandt i Svøb hun en mægtig Steen og rakte den Drotten.
Flux han i Hænde den tog og lod gjennem Svælget den glide
Grum og haard, ei tænkte han paa, at tilbage han levned
Ikke en Steen, men sin egen Søn ukuet og uskadt,
Ham, som skulde ham snart med kraftige Hænder betvinge,
Røve ham Hæder og Magt og selv blandt de Evige raade.
Hurtigt trivedes nu i Kraft og herlige Lemmer
Konningen hist i Fjeld, og i Aarenes rullende Kredsløb
Gav, ved Gæas kløgtige Raad og Rænker besnæret,
Kronos sin Afkom fra sig igjen, den snedige, stærke,
Tvungen dertil af sin Søn med List og tillige med Voldsfærd.
Først da spyede Stenen han op, som han sidst havde slugt den;
Den nedfæstede Zeus i den trindtomveibare Jordgrund
Under Parnassets kløftede Bjerg i det hellige Pytho
Alt til et Fremtids Tegn, et Under for Menneskens Slægter.
Løste han saa af de knugende Baand Farbrødrene sine,
Uranos' Sønner, som hiin i sin Daarskab selv havde bundet;
Det de husked ham siden og gjældte ham atter hans Veldaad:
Tordenens Bulder skjænked de ham og den flammende Kile,
Dertil Lynet — tilforn i den vældige Jord de laae skjulte —;
Stolende trygt paa dem over Mænd og Guder han raader.

II. PROMETHEUS.

(*ΘΕΟΓΟΝΙΑ* v. 507—616.)

Klymena, fageranklet og væn, Okeanos' Datter,
Sig til Mage Iapetos tog og besteg hendes Leie,

Og hun en Søn ham fødte, den djærvtudholdende Atlas,
Fødte den stolte Menøtios ham og den snilde Prometheus,
Kyndig i List, dertil Epimetheus, daarlig og vidløs,
Ham, som først de erhvervsomme Mænd Ulykke forvoldte,
Der han annammed af Zeus hiin kunstigtdannede Ungmø.
Men Menøtios, trodsig og fræk, i Erebos' Mørke
Stødtes af Zeus Vidttordneren ned, med den flammende Kile
Ramt til Straf for sin voldsomme Færd og ustyrlige Vildhed.
Yderst paa Jord, hiinsides den Egn, hvor de sangrige Møer
Hesperiderne boe, staaer Atlas og bærer den vide
Himmel, kuet i Tvang, paa Hoved og kraftige Arme;
Saa har Skjæbne og Kaar den raadvise Zeus ham beskikket.
End i Lænker han bandt den snuforslagne Prometheus
Fast med snærende Baand og drev ham en Pæl gjennem Brystet,
Sendte ham saa en bredvinget Ørn, som aad af hans Lever;
Men udødelig skabt den groede atter om Natten
Ud overalt, hvor Fuglen den samfulde Dag havde hakket.
Den dog fælded tilsidst den ankelfagre Alkmenes
Stridbare Søn Herakles, af drøvelig Vaade han friede
Hjælpsom Iapetos' Søn og endte hans Sorrig og Vaande.
Ikke var Zeus det imod, som throner høit paa Olympen,
Navnry gjerne han undte den thebafødte Herakles
Meer endnu end tilforn paa den alternærende Jordkreds;
Derfor hædrede saa med Agt sin herlige Søn han:
Skjøndt forbittret, sin Vrede han tvang, som han nærede hidtil,
For han voved at kappes i Kløgt med den stolte Kronion.
    Thi da der Skifte blev gjort mellem Mænd og evige Guder
Hist i Mekone, den mægtige Tyr han lagde til Skue
Deelt med listigt Beraad, i den Agt, Zeus' Hu at besnære.
Thi til hine alt Kjød og det fedtombævrede Indvold
Lagde paa Huden han ned og med Tyrens Mave det skjulte,
Men til denne de hvidlige Been med skuffende Kunst han
Lagde i siirlig Hob og med skinnende Fedt dem bedækked.
    Ham tiltalede nu hiin Guders og Menneskers Fader:
Ei, du Iapetos' Søn, du herligste Drot iblandt alle!
Kjære, hvor har med uligelig Gunst du skiftet de Parter!
    Saadant mælede spodsk da Zeus den evindeligvise.
Ham tiltalede atter den snuforslagne Prometheus

Smilende luunt, og ei han glemte de skuffende Kunster:
Mægtige Zeus, priisværdigste Gud blandt de Evige alle,
Selv maa du vælge den Part, som din Hu i Brystet dig byder.
Saa han mæled med Svig; men Zeus den evindeligvise
Kjendte hans Rænker grant, og Vanfærd spaaede i Hjertet
Menneskens Æt han vist, som ogsaa skulde dem ramme.
Flux den hvidlige Talg med baade Hænder han løfted;
Vred da blev han i Hu, og hans Hjerte svulmed af Harme,
Da han saae lagte de hvidlige Been med skuffende Kunster.
Men siden den Tid offre paa Jorden Menneskens Slægter
Guderne hvidlige Been paa de duftombølgede Altre.
Ham tiltalede harm i Hu Skysamleren Zeus da:
Ei, du Iapetos' Søn, du meest Forslagne blandt Alle!
Kjære, saa har du endnu ei glemt de skuffende Kunster!
Saadant mælede vred da Zeus den evindeligvise,
Og fra den Stund han husked ham altid siden hans Svigfærd.
Ildens aldrighvilende Kraft nu vilde de arme
Døgnets Børn han forholde, som her paa Jord monne bygge;
Men ham narred igjen Iapetossønnen den bolde,
Stjal den aldrighvilende Ilds fjerntlysende Lue,
Gjemt i den hule Rørstengels Marv. Det naged i Sjælen
Dybt Høittordneren Zeus, og med Vrede fyldtes hans Hjerte,
Da han saae Mennesket eie sin Ilds fjerntlysende Lue,
Og paa Stand han beredede dem Ulykke til Gjengjæld.
Thi et Billed af Leer den trindtnavnkundige Lamfod
Formed, en statelig Ungmø ligt; saa bød ham Kronion.
Hende belted og smykked den lysblaaøiede Pallas
Alt med et sølvhvidt Skrud, og ned over Nakken behænde
Bredte et Slør hun, virket med Kunst, et Under at skue;
Dertil fæsted af Blomster i Eng frisksvulmende Krandse
Hende til yndig Pryd om Issen Pallas Athene;
End et Hovedsmykke af Guld om Panden hun lagde,
Som med kunstfærdig Haand den trindtnavnkundige Lamfod
Selv havde smedet med Flid, sin Fader Zeus at fornøie.
Mangt et Billed var drevet deri, et Under at skue:
Alle de tusinde Dyr, som Jorden fostrer og Havet,
Dem havde der han føiet paa Rad i straalende Ynde,
Heel vidunderligt lige, som eiede Liv de og Mæle.

Der han beredt nu havde den fagre Ulykke for Lykke,
Han for de andre Guder og Mennesker frem hende leded,
Herligen smykt af den vældige Guds blaaøiede Datter.
Studsen da greb hver dødelig Mand og udødelig Guddom,
Da de det farlige Svigværk saae, som hilder alt Mandkjøn.
Thi fra hende stamme de kjælne Qvinder tilhobe,
Hvilke til svart Fordærv blandt Jordens Mænd monne bygge,
Ei til at dele den trykkende Nød, men til Overflod skabte.
Ligesom Biernes Flok i de veltildækkede Kuber
Dronerne føder, som ei sig forstaae paa Andet end Ugavn —
Selv hver Dag fra det tidligste Gry, til Solen sig bjerger,
Sysle de travlt og bygge med Flid Voxkagerne hvide,
Men i de dækkede Kuber de Andre holde sig hjemme
Og med det fremmede Arbeids Frugt kun Maven sig proppe —,
Saa for de jordiske Mænd Høittordneren Zeus til Fordærv kun
Qvindernes Æt har skabt, som Andet at øve end Utarv
Ikke forstaaer. End gav han dem een Ulykke for Lykke:
Hvo som for Ægteskab ræd og for Qvindernes ledsomme Færden
Vælger sig ugift Liv og vorder til skrøbelig Gubbe
Uden en Alderdoms Trøst, han savner ei rundeligt Ophold,
Mens han lever, men efter hans Død Udarvinger dele
Alt hans Gods. End den, hvem Bryllup vorder beskikket,
Faaer han en dydelig Viv, som ret er efter hans Hjerte,
Da gaaer Ondt vel og Godt i hele hans Liv mod hinanden
Ligelig op, men træffer han een af Ulykkesætten,
Da han lever med Hjerte og Hu i uvendelig Jammer
Stedt udi Brystet, og ingen Bod der er for hans Vaade.
Ingentid Zeus' Hu da besnære man kan eller skuffe,
Naar end ikke Iapetos' Søn, den hulde Prometheus,
Kunde hans svare Harm undgaae, men kuet med Tvang blev,
Ihvor kløgtig han var, udi mægtige Lænker dog hildet.

III. TITANKAMPEN.

(*ΘΕΟΓΟΝΙΑ* v. 617—735.)

Bundne i stærke Baand var hidtil Kottos og Gyes
Samt Briareos, alt fra den Stund, da gram deres Fader
Blev dem i Hu ved at skue med Harm deres trodsige Manddom,

Skabning og Væxt; dybt under den trindtomveibare Jordgrund
Bød han dem boe; der sad de med Sorg nu, dybt under Jorden
Byggende, yderst ude ved Enden af Jorden den vide,
Høilig bedrøvede længe med nagende Kummer i Hjertet;
Men Kronion med samt de andre evige Guder,
Rhea den haarfagres Børn, hvem Kronos favned i Elskov,
Førte dem frem efter Gæas Raad for Lyset nu atter;
Hun havde nemlig Alt dem fortalt fra Ende til anden,
At de med dem sig Seir og herligt Ry skulde vinde.
Thi fuldlænge alt dysted med hjertefortærende Møde
Hine titaniske Guder og de, som stammed fra Kronos,
Haardelig mod hverandre i Strid og drabelig Kampgang,
Hist fra Othrys' kneisende Bjerg de gjæve Titaner,
Men fra Olympens Tinder de frydudbredende Guder,
Rhea den haarfagres Børn, som med Kronos deelte sit Leie.
Disse kæmpede da i hjertefortærende Kampdyst
Uafbrudt med hverandre i ti samfældige Aar alt;
Aldrig de mægted den haarde Strid at faae endt eller bøiet
Her saa lidet som hist, men lige stod Kampen bestandigt.
Men der Zeus havde hine beteet al ønskelig Ære,
Givet Ambrosia dem og Nektar, Gudernes Føde,
Høit da hæved paa Alle det mandige Mod sig i Brystet.
Da de Ambrosia nu havde nydt og den liflige Nektar,
Tog iblandt dem til Orde hiin Guders og Menneskers Fader:
Hører mig nu, I Gæas og Uranos' herlige Sønner,
At jeg sige jer maa, hvad Hjertet i Brystet mig byder.
Alt fuldlang en Tid det nu er, at om Seiren og Magten
Mod hverandre vi her Dag ud Dag ind have dystet,
Hine titaniske Guder og vi, som stamme fra Kronos.
Viser da I eders vældige Kraft nu og farlige Arme,
Trædende mod Titanerne frem i drøvelig Kampfærd;
Mindes min Gunst og min Huldskab nu og Alt, hvad I døied,
Indtil frem for Lyset igjen af det piinlige Fængsel
Ved mit Raad og min Villie I kom fra det taagede Mulmdyb.
Saa var hans Ord. Men ham gjensvarede Kottos den bolde:
